

AUXIMATIUM EPISCOPORUM

SERIES.

AUXIMATIUM EPISCOPORUM
SERIES

A FERDINANDO UGHELLIO primum contexta, deinde a NICOLAO COLETIO aliquantulum aucta, nuperrime a Cl. Viro FAUSTO ANTONIO MARONIO ex Cler. Reg. Scholarum Piarum emendata, & continuata,

NUNC DENIQUE

A FRANCISCO ANTONIO ZACHARIA Soc. Jesu

PLENIUS RESTITUTA

Pluribusque nondum editis documentis

ILLUSTRATA.



AUXIMI. CIↃ IↃ CC LXIV.
EX OFFICINA DOMINICI ANTONII QUERCETTI.
SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. D. POMPEJO COMPAGNONIO

AUXIMATIS ET CINGULANÆ ECCLESIAR.
ANTISTITI



FRANCISCUS ANTONIUS ZACHARIAS S. J.
FELICITATEM.



Uinctus is est, *quem in Ughellianam* Italiam ſacram *commentarium edo*. *A* Cremonenſium *Epiſcopor. ſerie cœpi*, *vulgataque fuit cum meis emendationibus atque additamentis Mediolani a. MDCCXLIX.*

Ughellianam deinde Episcopor. Pistoriensium *seriem, a me ad veteres chartas correctam auctamque, veluti appendicem* Anecdotor. medii ævii, *protuli Augustæ Taurinor. a.* 1755. *Superiore anno* Laudenses & Cremenses *Antistites pro virili parte illustrare adgressus sum, illorumque Mediolani, horum Brixiæ series prodiit. Quum vero de* Auximatibus *Episcopis cogitare tuo hortatu atque adeo jussu cœperam, fere in animum induxeram, eos in unum alterumve volumen inferre, quod moliebar, Ughellianarum emendationum. Nempe quatuor illas, quæ seorsum editæ fuerant, series, uno simul tomo comprehensas, prælo rursus subjicere meditabar, easque fere omnes auctiores;* Laudensium *quidem illam quibusdam Ughellianis ad Monasterium* de Cerreto *pertinentibus supplementis, quæ sive amanuensium, sive typographi culpa (fortasse etiam mea, usus enim ferme fueram priore editione, in qua illa ad appendicem re-*

jecta

jecta quum fuerint , potuerunt me facile fugere) a mea abesse editione nuper intellexi ; Pistoriensium *vero alteram iis monumentis locupletatam , quæ in* Anecdotis *quum fuissent a me divulgata , suis quidem locis indicata sunt , non tamen iterum descripta ;* Cremonensium *denique seriem dissertatione , monumentis , aliisque criticis animadversionibus magis magisque confirmatam & perpolitam . In alterum autem volumen* Auximates *Episcopi tui , tum etiam* Mutinenses , *quorum etiam post* Silingardii, Ughellii, Vedrianii *labores mancam esse seriem ac multis nominibus imperfectam dolemus , conjiciendi erant . Finem huic qualicumque meo pro* Italia sacra *restituenda conatui imponere debuerat fasciculus mearum in varia ejusdem loca animadversionum . Nam legendo , archiva lustrando , per Italiam itinerando non pauca collegeram , unde & cæteræ magni operis partes corrigerentur ac supplerentur . Exemplum esto sepulcralis , quæ*

in Carpensi urbe exstat, Manfredi Vicetini *Episcopi Inscriptio*, *quæ* Ughellio *ignota fuit*, *nec tamen solius* Manfredi *memoriam*, *sed ipsam* Vicetinor. *Antistitum chronologiam collustrat*. *Lubet enim heic mihi illam reddere*, *atque eo facilius*, *quo magis Te hisce litteratorum hominum cupediis scio delectari*.

Atque in Antonii Zattæ *Veneti typographi indiculo meæ istæ* Ughellianæ *emendationes*, *veluti sub prælo positæ*, *memorantur*. *Ego vero*, *qui noverim quanta a typographis nostris difficultate operum ejusmodi ad paucos pertinentium editiones suscipiantur*, *vix mihi persuadeo fore*, *ut eas in publicam lucem emissas videre mihi liceat*, *etsi propter monumentorum copiam*, *&* *ipsam locorum*, *de quibus agitur*, *varietatem*, *opus hoc meum communius utiliusque futurum existimo*, *quam typographi paratum fere lucrum spectantes intelligant*. *Auget etiam editionis difficultatem exspectatio*, *quam docti duo viri*, *Ve-*

netiis

+ : M : C . C .
LV : IN ·O IT
XIII · III · KL · SEPT ·
Ø · O · MAFRE O ·
OI GRA · EPS · VICEIN · FI · 9 · ONI ·
PII · O · PIIS · OFIL · MAFR OOX · CU
COP · IAET · KAIA · AST · EIB EATA ·
L TAT · ICE L · CU SCIS :·

netiis alter, alter Florentiæ concitarunt; universæ Italiæ ſacræ *reformandæ. Dum enim integrum opus brevi ſperatur, ægre inveniuntur, qui ad particulas ſuo ipſorum periculo evulgandas manum admoveant. Hæc ea ſunt, quæ demum me compulerunt, ut* Auximatium *Epiſcoporum ſeriem a reliquis disjunctam paterer apparere. Acceſſit etiam inſignis humanitas tua, qua non ſolum illius editionem iſthic curaſti, verum etiam ut elegantiſſima prodiret atque emendatiſſima. Tu autem viciſſim ſinas, PRÆSUL AMPLISSIME, ut hocce opuſculum nonniſi tuo inſcriptum nomine exeat. Neque alias, etſi multæ ſunt, cauſſas adferam, cur id potiſſimum velim: id enim non ſine laudum tuarum commemoratione fieri a me poſſet, a qua quantum abhorreas, palam eſt omnibus, qui Te noverunt, mihi autem cum primis, cui id commendaſti maxime, ut ubi ad Epiſcopatus tui tempora ſermo deveniſſet, parce admodum res a Te laudabiliter*

geſtas

gestas perscriberem. Id unum adfirmare non vereor, me in crimen hominis nimium immemoris nimiumque ingrati apud Auximates *tuos incursurum fuisse, nisi hoc, quod tamen quam exiguum sit intelligo, officium voluntatis erga Te meæ persolvissem. Dabam ex Atestia Bibliotheca VI. Kalendas Augustas anno vulgatæ Æræ* CIϽIϽCCLXIIII.



ERRA-

ERRATA QUÆDAM, ET EORUM CASTIGATIO.

Pag. 1. verſ. 8. in textu Ughelliano: *Romanæ* Corr. *Romani*.

Pag. 2. verſ. 5. in eodem textu: *Collatiæ Oximæque* Corr. *Calatiæ Oximoque*.

Ibid. verſ. 16. *tyrannidi* Corr. *tyrannidis*.

Pag. 7. verſ. 2. pro *Opp.* ſcribe *Oppii*.

Ibid. verſ. ult. pro *& V.* ſcribe *ex V.*

Pag. 45. Adnot. 2. verſ. 1. pro *Diſſ. I.* ſcribe *Diſſ. II.*

Ibid. Adnot. 3. verſ. 1. eadem correctio.

Pag. 54. Adnot. 1. de LEONARDO, verſ. 20., *petatis* Corr. *pietatis*.

Pag. 88. verſ. penult. proxime ante notas: pro *Patris* ſcribe *Fratris*.

Pag. 125. prope finem neſcio quei factum fuerit, ut non mihi modo, verum iis etiam, quibus libri hujus editio Auximi mandata eſt, exciderit, ab Epiſcopo *Compagnonio inventa* fuiſſe *corpora Ss. Florentii* & Socior. MM., itemque beatiſſimorum Confeſſorum *Leopardi*, *Vitaliani*, ac *Benvenuti*: nam id quidem a vero abeſt. *Invenit* profecto *Compagnonius* a. 1751. illorum Martyrum *capita*, qua de re exſtat Narratio eodem illo anno Piſaurenſibus formis excuſa: & id ſane ſummæ ejus felicitati, divinæque in eum beneficentiæ tribuendum eſt. *Corpora* vero tum eorumdem Martyrum, tum ſanctorum, quos diximus, deceſſorum ſuorum, non ipſe quidem *invenit*, ſed, quæ ejus fuit pietas & munificentia, ex antiquis tumulis propter juſtiſſimas cauſſas extracta, riteque *recognita*, perque urbem ſolemni pompa, poſt triduanam celebritatem, delata, ut decentius reconderentur, non modica impenſa curavit.

In Diſſertatione Italica, quæ ad libri calcem rejecta eſt, pag. xiii. verſ. 11. pro *Auſina* ſcribe *Auxina*.

Ibid. (kk) *To.* 2. *col.* 1009. ſupple 1. *edit.*

Pag. poſtrema verſ. 11. *paſſagio* Corr. *paſſaggio*.

Pro Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Epiſcopo.
Vidit Marcus Antonius Talleonius Patricius Auximas.

IMPRIMATUR.

P. Pace Vicarius Generalis.

IMPRIMATUR.

F. Remigius Curionus S. Officii Auximi Vicarius.

D. FER-



D. FERDINANDI UGHELLI

PROŒMIUM



Uximum (1) *Piceni antiquissima ac nobilissima civitas, inter Æsium, Anconamque media, in monte sita est, distatque X. milliaribus tantum a mari, cujus radices lambit fluvius Misius. De ejus magnitudine, situ, dignitateque ita Procopius* lib. 2. Gothicarum rerum: Urbs hæc Auximus Princeps est urbium Piceni, quam caput gentis Romanæ vocant; abest a litore sinus Jonii stadia 84., sitaque in edito colle, aditum habet in plano nullum, eoque hostibus prorsus inaccessa est : *hactenus Procopius. Itaque cum in eam præsidia jam contra Belisarium gliscentis belli Gothorum barbara gens contulisset, longam sane obsidionem ex arduitate loci, obstinataque cupiditate vincendi contra eundem, non sine hostium detrimento, ut idem affirmat Procopius, tolerare potuerunt. Haud scio tamen, qua ductus auctoritate Græcus auctor Picenatium urbium Auximum* Principem *vocet*, Caputque gentis, *cum potius apud plerosque constet antiquos scriptores Asculum, ut supra docuimus, ejus dignitatis, potentiæque tulisse cognomen* (2). *Adhuc tamen multa antiqua monumenta, marmora, æraque inscripta spectantur, unde Auximana nobilitas, ac magnitudo facile colligi possit* (3); *etenim, si Paterculo ulla fides* lib. 1., *Sergio Sulpicio*,

A *Lucio-*

NOSTRÆ ADNOTATIONES.

(1) Sive *Auxumus*, & *Oximon*, vulgo *Osimo* vel *Osmo*. COLETUS.
(2) Vide dissertationem I., quam heic subjiciemus.
(3) Fere in animo erat, vetera hæc, quæ supersunt, monumenta heic ad archetypa marmora exhibere; verum longiorem, quam institutum hoc nostrum ferat, commentarium exposcerent. Alterius igitur loci erit illa addere illustra-
ta,

Lucioque Cotta Coss. ab Urbe Condita DCVIII. (4), *ante vero Christianam fundatam salutem* 144. *Auximum Colonia Romanorum fuit. Municipium etiam appellatum est, ut antiquissimæ produnt inscriptiones* (5). *Livius hanc civitatem* Oximum *appellat* in lib. 4., *narrans Censores Collatiæ Oximæque injecisse muros. Lucanus vero causa metri Græcanica inflexione illam* Auximon *appellat, cum in* 2. *ita inquit:*

Ut admotæ pulsarunt Auximon Alæ (6).

Ejusdem meminit Cæsar in Commentariis, Plinius, Strabo, Ptolomæus, Plutarchus, Blondus, aliique recentiorum quamplures. Hæc civitas fortunam Romani Imperii tandiu secuta est, quamdiu Romanæ opes, potentiaque stetere. Cum Romani Imperii ruina & ipsa miserabiliter concidit, ex cæterarum Italicarum civitatum more passa latrunculorum tyrannidem, qui illam verius depopularentur, quam iis leges præscriberent, quibus semel tyrannidi frænum injecissent. In quibus Boccalinus (7) *Guzzonus postremus fuit, qui in Auximates cives tyrannidem exercuisse dicatur. Quo demum exacto ecclesiasticum jugum Innocentio VIII. sedente libenter accepit Auximum, sub quo hactenus & deinceps felicissime conquiescit. Constat Auximates adeo ubique & semper libertatis fuisse amantes, ut etiam nunc die* 29. *Mensis Augusti solemni ritu publicisque institutis supplicationi-*

ta, ubi scilicet lapidarias institutiones, & Bibliothecam epigraphicam prælo pene paratam dabimus cum marmoribus Salonitanis, aliisque jam divulgatis ad antiquas inscriptiones pertinentibus opusculis nostris, sed ad novas curas exactis. Interea apud Martorellium in opere inscripto *Memorie historiche di Osimo* legi possunt, licet minus accurate edita, explicataque ibi sint, & nonnulla præterea desiderentur postea vel ex MSS. schedis a Muratorio in lucem emissa, vel feliciter e terræ latebris effossa.

(4) DXCVII. editum fuerat in priore Ughellii editione, insigni utique mendo, anno enim DXCVII. Consules processerant non Sergius Sulpicius, Luciusque Cotta, sed L. Cornelius Lentulus Lupus, & C. Marcius Figulus II.. Neque tamen restituta hoc pacto sunt omnia. Nam neque anno Conditæ Urbis DCVIII., sive Varronianam sive Capitolinam Romanæ urbis Epocham sequimur, fuere hi Consules, sed anno DCX., aut DCIX., neque demum, ut in ea dissertatione dicemus, Paterculi rationes ad annum nos ducunt Urbis Conditæ sive 597., sive 608., sed 596.

(5) Nihil minus. Confer dissertationem I.

(6) *Auximon* appellat quoque inconcinnus ille Poeta, cujus hexastichon exstat in Actis S. Leopardi *Lucano* perperam inscriptum. Vide eruditissimi Dominici Pannellii opus prænotatum: *Memorie di S. Leopardo Vescovo d' Osimo, Pesaro* 1755. *pag.* 49.

(7) *Buccolinus*, seu *Boccolinus*, quemadmodum eum nominat Martorellius in opere mox laudato, qui de eodem videndus est *libro V.* a *Cap. I. ad IV.*

tionibus, *Francisci Sfortiæ Auximi quondam Tyranni fugam celebrent*. *Verum ex Martyrio*, *quod Auximi Ss. Sisinnius*, *Diocletius*, *Florentiusque temporibus Diocletiani feliciter percurrerunt*, *conjectura*, *& quidem non insulsa esse potest*, *tunc ipsum Auximum lucem Evangelicam hausisse* (8), *cum cæteri Picenates ab Apostolorum discipulis ad Christum perducti fuissent*. *Tametsi non negemus*, *usque ad tempora Innocentii I.* 402. *Idololatriam ibi perseverasse*, *quam deinde S. Leopardus primus ejusdem civitatis Episcopus missu I. Innocentii Papæ* (9) *prædicatione*, *exemplis*, *patratisque miraculis*, *visus est jugulasse*. *Auximi Episcopus pro Metropolitano Pontificias fasces proxime reveretur*, *adorat*, *inter Romanæ Provinciæ Præsules numeratus*. *Ejus Jurisdictio satis late fines extendit*, *cui olim unita fuit Cingulana civitas priscis illis temporibus Episcopali dignitate ornata*, *ut ex Epistola decretali Vigilii Papæ habetur* tom. 1. part. 2. epist. decret., *& refertur a Baronio* tom. 7. an. 553.; *in ea enim memoratur Julianus* Cingulanus Episcopus, *eidemque sexto loco se subscribit* (10). *Cingulum in Piceno est antiquissimum*, *ac opulentis civibus abundans*, *nempe exædificatum*, *sive restauratum a T. Labieno C. Julii Cæsaris Legato in bello Gallico annis* 42. *ante adventum Christi*, *in quo ad supra* 10. *millia hominum censentur*, *& sub se habet tria castra muris circumdata*, *quibus jus dicit*, *&* 12. *villas*, *nec non insignem Collegiatam cum* 12. *Canonicis*, *Præposito*, *& Archipresbytero*, *tria magna Monialium Monasteria*, *quorum alterum Ord. Cisterciensis habet jurisdictionem temporalem amplissimis ac antiquissimis privilegiis ornatum*, *insignem Magistratum in publico palatio ab immemorabili tempore commorantem*, *& præter innumeros quavis facultate eruditos viros*, *qui in eo floruerunt*, *& nunc florent*, *tum nobiles Hierosolymitani*, *S. Jacobi Calatravæ*, *ac S. Stephani Religionum equites*, *tum vero Antistites*, *de quibus alibi plura*. *Cathedralis Auximana*, *ut pulchritudine nitet*, *sic sacerdotum numero nulli videtur secunda*.

(8) Quæ heic Ughellius ait, ex dissertatione II. corrigenda sunt.
(9) Et heic quoque hallucinari Ughellium, quæ in dissertatione II. dicturi sumus, ostendent.
(10) Hac de re uberius *diss. III.*

AD UGHELLI PROŒMIUM

DISSERTATIO I.

De Auximatis urbis antiquitate, atque præstantia.

I. PRæclaræ ac de me optime meritæ Urbis historiam perscribere minime adgredior, pauca solum de ejus antiquitate, ac dignitate differere lubet, viam ad ea, quæ sequenti dissertatione de Fidei Christianæ, ac Cathedræ Episcopalis apud illam initiis expedienda erunt, veluti paratura. Ac primum illud in disceptationem venit, quo anno Colonia a Romanis deducta fuerit. Ughellius, ut vidimus, anno Urbis Conditæ DCVIII. colonos Auximum a Romanis missos ait, Sergio Sulpicio, Lucioque Cotta Coss., Sigonius (*de antiq. Jure Italiæ Lib. II. c. V.*) anno DXCIV. Cn. Cornelio, M. Fulvio Nobiliore Coss., Martorellius *pag.* 12. a. DLXXIII. Sexto Julio, & L. Aurelio Oreste Coss.. Mitto heic, a Martorellio Sigonium veluti sententiæ suæ præmonstratorem adferri, quum Sigonius aliis omnino Consulibus Coloniam Auximatem consignet, neque doctissimus vir, ac fastorum Capitolinorum, si quis alius, peritissimus explanator sibi umquam e calamo illud excidere passus fuisset, quod Martorellius insipientissime pronunciavit, Sexti Julii, & L. Aurelii Orestis Consulatum, qui in annum V. C. DXCVI. conferendus est, ad annum DLXXIII. pertinuisse. Hoc mirum, ab Auctoribus istis, quum tantopere inter sese discrepent, Vellejum Paterculum appellari, quem singuli sequi se jactent. Quid enim Paterculus? *Auximum*, inquit Lib. I., *in Piceno missi Coloni abhinc annos ferme CLXXXVII. ante triennium, quam Cassius a Lupercali in palatium versus theatrum facere instituit*. Scribebat hæc Paterculus a. V. C. DCCLXXXIII.; hinc annos si demimus CLXXXVII., in annum V. C. DXCVI. incidemus. Enimvero annus hic triennio Cassii theatrum antecedit; Cassius enim cum M. Valerio Messalla a. V. C. DXCIX. censor quum esset, *theatrum*, quod Paterculus ajebat, *facere instituit*. Ut ut est, Auximum ante Vellejanum annum Coloniam fuisse, exploratum habeo. Certe ante illum annum in Romanorum potestatem venerat, quemadmodum Calatia. Censores

sores enim quum essent Q. Fulvius Flaccus, & A. Postumius Albinus, Livio teste (*Lib. XLI. c.* 27.), *Calatiæ & OXIMI muros faciendos locaverunt, vendit isque ibi publicis locis, pecuniam, quæ redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumpserunt*. Hæc acta a. V. C. DLXXIX. Sp. Postumio Albino Q. Mucio Scævola Coss.. Quare qui a. DLXXVIII., aut superiore Auximatem Coloniam consignarit, a vero fortasse non aberraverit.

II. Sunt qui cum Ughellio, & Martorellio præterea velint, Municipium fuisse Auximum, idque lapidum veterum auctoritate confirmant. Verum quid demum est in ejusmodi monumentis, unde Municipiis adcenseatur? In *Q. Plotii Maximi* inscriptione legimus, titulo illum decoratum fuisse a Collegio Centonariorum Auximatium OB. EXIMIUM IN. MUNICIPES. SUOS AMOREM. Ita sane, immo Decuriones Auximi, quum adventu Cæsaris cognito ad Attium Varum frequentes convenissent, docuerunt, quod Cæsar ipse narrat (*de bello Civili lib. I. c. XIII.*) *sui judicii rem non esse; neque se, neque reliquos* MUNICIPES *pati posse &c.* At idem heic *Municipis* quod *civis*, seu, ut ajunt, *concivis* ac *conterranei* nomen, ut a Maffejo Viro Cl. *Veronæ illustratæ l. V.* comprobatum animadverti. Non moror autem lapidem a Gudio adlatum *p. CXLI.* 1., inscriptumque L. VELIO. L. F. VEL. LUCRIONI IIII VIRO MUN. AUX. IUR. DIC. AGRI. Ligorianus enim lapis est, nulla scilicet fide dignus. Quare oppido falluntur, qui hinc Auximas Municipium arguunt. Velim ego hi potius perpendant quod in duobus *M. Oppii Capitonis* marmoribus inscriptum hodieque videmus: *Patr. Col. Auxim. & Munic. Numanat.*, nempe *Patrono Coloniæ Auximatis, & Municipii Numanatis*, iterumque P. C. ET P. C. *Æsis & Munic. Numanat.*, scilicet *Patrono Coloniæ* (Auximatis), *& Patrono Coloniæ Æsis & Municipii Numanatis*. Hæc enim Auximatis & Æsinæ Coloniarum cum Municipio Numanate veluti comparatio nos docet, Numanates quidem Municipiis adscriptos fuisse, non Auximates & Æsinos. Neque id mirum. Ea quidem persuasio plurimorum animos occupavit, Municipia Coloniis præstitisse. Verum popularis error is est, quem appellato libro V. *col.* 87. Maffejus Marchio profligavit, ostendens, præstantissimas quasque urbes Colonias, non Municipia fuisse, idque ipsum Numanatium exemplum confirmat.

III.

III. Colonia igitur noſtra (de Municipio enim deinceps non cogitabimus) *Velinæ* tribui adſcripta fuit; quod *C. Opp.*, *Q. Tamudii*, *T. Salenii*, & *L. Feronii* lapides produnt. Sunt quidem marmora duo *L. Præſentii Pæti* alterum, alterum *Q. Plotii Maximi*, in quibus *Lemoniæ* & *Collinæ* tribubus Auximates adcenſentur. Sed quemadmodum ſcitiſſime animadvertit eruditiſſimus Eques Oliverius in adnotationibus ad *marmora Piſaurenſia p.* 104., ſub Imperatoribus promiſcue in qualibet tribu cenſos fuiſſe Italiæ populos proximius vero eſt; comitiis enim, ſuffragiiſque penitus ſublatis, quum tribum cives Romani honoris dumtaxat cauſſa profiterentur, non eſt cur miremur, pro illorum arbitrio plerumque additam fuiſſe. Velina tamen tribu cenſos olim Auximates fuiſſe facile mihi perſuadet cum frequentior ejus inſcriptio, quo ipſo tempore tribuum ratio fere nulla erat, veteris moris oſtentatione quadam, tum finitimarum Piceni urbium in eadem tribu deſcriptio.

IV. Ceterum eadem Auximo, quæ Coloniis ceteris, forma fuit, Reipublicæ ſcilicet, unde & in antiquo lapide *Reſpublica Auximat.* occurrit. Quamobrem *Decuriones* in ea erant, veluti Reipublicæ ſenatus. Audivimus nuper a Cæſare, *Decuriones Auximi* ad Attium Varum frequentes conveniſſe: Decurionum mentio fit etiam in Auximatibus inſcriptionibus. Ab his porro ii ſeligebantur, qui Rempublicam adminiſtrarent. Triumviros apud Auximates eos fuiſſe, ut in nonnullis aliis Coloniis, etſi Duumviri aliis placuerunt, argumento eſt fragmentum antiqui lapidis a Grutero redditum *p.CCCCXCI.* 4., atque a Sigonio quoque indicatum *de antiquo jure Italiæ lib. II. c. IV.*

III. VIR IN COL
AUXIM. BIS.

Quatuorviros quoque juridicundo Auximi exſtitiſſe dicendum eſſet, niſi quam ſupra memorabam, Ligorianæ inſcriptionis fides nutaret. Sexviros genuini lapides exhibent, cujuſmodi

BAIANIUS. C. L. AUCTUS VI. VIR

& *Præſentius* L. *Lib. Florus* VI VIR II. Fuit quoque Auximi Præfectus juridicundo; qua dignitate inſignitum reperio C. OPPIUM. C. F. VEL. BASSUM. Ubi vero a Caligula addita fuit Judicum decuria, Auximates quoque ejuſmodi judices delegerunt. Hinc *L. Præſentius.* L. FIL. *Lem. Pætus* dicitur in veteri epigraphe *Judex ſelectus & V. Dec.* Ne Quæſtores quidem

dem Auximo defuere. *Quæstor Reip. Auximat.* appellatur *T. Salenius T. Fil. Sedatus* in alia inscriptione. Quem nuper indicabam, *L. Præsentius L. Fil. Lem. Pætus* Ædilis fuit; fortasse tamen dubitare quis posset, Auximine Magistratum hunc gesserit, an Anconæ, ubi II VIR. At certe PR. AUXIMI, *Prætor* scilicet. Collegia de Coloniarum more in ea urbe floruerunt: duo vetusti lapides exhibent, *Centonariorum* & *Fabrum*. Nec minor ædificiorum splendor. Balnea duo, & Capitolium in actis S. Leopardi designantur. Theatrum & Circum ludorum, Gladiatorum & pugnarum, quæ in antiquarum inscriptionum fragmentis occurrit, mentio indicat. Sed hæc aliaque id genus, quæ ex marmoribus colligere præterea possem, Coloniis fere omnibus communia fuerunt.

V. Singulare illud Coloniæ Auximatis fuit, & ad ejus amplitudinem dignitatemque comprobandam multo accommodatius, quod Pompejus milites adversus Cn. Carbonem conscripturus in Piceno, Auximum, urbem quippe amplam elegerit, geminosque fratres Ventidios, qui primores in ea urbe erant, ac Carbonis partes adserebant, quum civitate damnatione sua ejecisset, delectum militum habuerit, Plutarcho teste in ejus Vita. In bello quoque Civili C. Cæsaris Attio Varo nihil antiquius fuit, quam ut Auximatium oppidum teneret, unde delectum toto Piceno, circummissis Senatoribus, habere posset. Et illud Coloniæ auctoritatem ostendit, quod idem Attius Decurionum Auximatium oratione permotus præsidium, quod introduxerat, ex oppido eduxerit, ac profugerit. Nam licet id ad eloquentiæ vim pertinere potius videatur, haud tamen crediderim, Varum ex munitissimo oppido, magno suarum cohortium discrimine fugam fuisse adrepturum, nisi Decurionum orationi non tam Cæsariani exercitus timor, quam Auximatium virtus dignitasque vim addidisset. Ad Coloniæ splendidissimæ ornamentum & illud spectat, quod ejus cives Patroni aliarum Coloniarum, ac Municipiorum fuerint, quos inter *M. Oppius Capito* Municipiorum *Numanatis* ac *Trejensis*, itemque *Coloniæ Æsis Patronus*. Nam licet non tam auctoritatis potestatisque, quam beneficii, amorisque munus id esset (ineptit enim Martorellius, qui Prætorem Auximi aliis Municipiis, Coloniisque jus dixisse hinc arguit *pag.* 14.); tamen nonnisi clarissimis amplissimisque viris dabatur.

VI.

VI. Etsi vero inter Picentes magni nominis Auximum erat, non tamen Martorellio adsentiri possum, eam urbem Piceni caput fuisse sub Romanæ Reipublicæ exitum, primoque Imperatorum sæculo adfirmanti. Adfert ille fragmentum vetusti lapidis:

LEGAVIT. COLONIS. AUXIMATIBUS SINGULIS.

ET DECURIONIB. SINGULIS. HS XX.

ET. LEGAVIT. COLONIS. COLONIAE. AUXIMATIS. HS. CCC

Tum, viden? inquit, *Colonos Coloniæ Auximatis* a *Colonis Auximatibus distinctos?* En ergo, uti Auximatium Colonia novas Colonias ediderit, quæ Coloniæ dictæ sint *Coloniæ Auximatis*. Plinius quoque id indicat, dum *lib. III. Auximates populos* appellat. Quid? quod Strabo ait: *Auximum urbs Piceni, a qua Auximates populi*; *populi*, inquam, quo nomine non unius certe Coloniæ, sed plurium urbium, locorumque incolæ designantur. Quod & clarius Strabo significat; nam e vestigio addit: *postea Picentes dicti fuerunt*. Quamobrem Auximates provinciæ universæ nomen olim dedisse necesse est. Hæc ille. Pudet enimvero scribi hæc ineptiarum portenta, edique in Italia nostro hoc sæculo potuisse. Plinius *Auximates* nominat, quemadmodum *Arpinates*, *Avellanos*, aliosque sexcentos: an ex his quoque novas prodiisse Colonias adferemus? Id unum porro ait Strabo: *Auxumum oppidum, paullulum supra mare*; cetera, quæ Strabo dixisse perhibetur, somnia sunt Martorellii. De lapide demum illo non est cur disputemus. *Coloni Coloniæ Auximatis* iidem sunt, qui supra *Coloni Auximates* dicuntur; neque id mirabimur, si fragmentum illud esse animadverterimus, nempe in quem finem legata illa fuerint, desideratur: legavit, quisquis is fuerit, cujus nomen intercidit, Colonis Auximatibus singulis sestertia numum XX., puta ad annuum funus; deinde iisdem Colonis sestertia numum CCC. in aliam caussam, quæ in sequenti versiculo adscripta erat.

VII. Quid hæc autem, si cum iis conferantur, quæ de Asculo ex Floro *l. 1. cap. XIX.* Cluverius, & Cellarius proferunt? *Domiti Picentes, & caput gentis Asculum*. At Martorellius *p. 20.* hæc de Asculo Apulo, non de Piceno interpretatur; quod & nuper propugnavit P. Maronius *pag. 1.*. *Sermo*, inquit vir

eruditus, *ibi est de iis populis, qui Pyrrhum, & Tarentinos bello juverant contra Romanos, enumeratis, qui postea in triumphum ducti ex Italis sunt, Brutiis, Apulis, & Lucanis, ut ex capite superiore XVIII.*. Verum non video, quei vir doctus non animadverterit, *Picentes* Latinis auctoribus fuisse Piceni incolas, *Picentinos* contra, qui ad bellum illud Tarentinum spectant, ac fortasse unum Strabonem Græcum scriptorem in horum nominum usu a ceteris desciviſſe. Illud quoque exploratum est, Asculum Dauniæ ad Picentinos minime pertinuisse, nec *caput gentis* illius fuisse Asculum, sed Picentiam, quemadmodum Strabo diserte docet. Et Florum putabimus de Asculo Dauniæ loquutum, dum illud *Picentium caput* appellat? Præterea Tarentinum illud bellum inter, & Picentes domitos anni aliquot intercesserant; domiti enim Picentes a. V. C. 485., aut ex Varroniana sententia 486.; de Tarentinis autem a. 481. triumphatum fuerat: immo inter utrumque bellum Cn. Cornelius Blasio a. 483. de Sassinatibus triumphaverat. Non ergo Picentum bellum ad Tarentinum referendum est. Atque id eo verius est, quod Picentes ipsos bellum commovisse Eutropius scribit. Quod si qua tamen ratione bellum colligari utrumque volumus, quod Florus indicat, quid tum? Socios habebimus Piceni agri incolas Tarentinorum, quod clancularіis consiliis subsidiisque Pyrrhum ac Tarentinos fortasse foverint; nisi cui placeat, Romanos belli caussam e societatis seu fama, seu suspicione sibi captasse. Id ne absonum videatur? At superiore capite Florus Brutios, Apulos, Samnitesque commemorat: fateor; sed de Picentibus quoque silet, sive Picentinos eos volumus, sive Picenos; socii tamen fuerant, ipso Floro auctore. Capite scilicet XVIII. eos recenset, de quibus a. 481. triumphatum fuerat; triumphatum autem non fuit de Picentibus: quorsum ergo hosce commemorasset? Quamquam quid de Flori sententia disputamus? Pro Asculo Piceno disertissima sunt hæc Plinii verba *l. III.: Super id* (Castellum Firmanorum) *Colonia Asculum, Piceni nobilissima, intus.*

VIII. Quod tamen florente Romanorum Republica atque Imperio non fuit, sexto Æræ Christianæ sæculo Auximum habebatur, Picentium, inquam, caput. Audiendus illorum temporum æqualis Procopius *de bello Goth. lib. II. Auximum omnium Piceni maxima est urbs.. quam caput gentis Romani vocant.* Ughellius

lius ad hæc incertus hæret, ut quæ cum Flori de Asculo sententia pugnare ipsi videantur. Sed distinguenda sunt tempora, Procopiumque inter & Florum nihil erit dissidii. In Gentium historia hospes sit, oportet, qui ignoret splendidissimas urbes, temporum injuria fortunæq. vicissitudinibus adflictas, a veteri dignitate paullatim decidisse; alias contra, quæ minoris erant, ad summam quamdam amplitudinem fuisse delatas. Quare id minus de Auximo mirabimur, quæ urbs inter spectatissimas Colonias locum semper tenuit. Sed de profanis Auximatium rebus satis dictum est; ad sacras convolemus.

DISSERTATIO II.

De Christianæ fidei, atque Episcopalis Cathedræ apud Auximates initiis.

I. QUa idolorum superstitione ceteri Italiæ populi detinebantur, eadem obvolutum Auximum fuit, quo tempore Apostolorum ope Evangelicæ veritatis lux nostris primum terris adfulsit. Supersunt etiamnum veteris cultus apud Auximates in antiquis lapidibus perspicua vestigia, IOVI SOLI SERAPI Votum solutum, AESCULAPIO ET YGIAE SACRUM, hostia quotannis FIDI AUGUSTAE immolanda, APOLLINI INVICTO SACRUM in Ligoriana apud Gudium (*XXIV.* 8.) epigraphe, Sacerdotia ipsa, ut *Pontifices Maximi*, *Augustales*, *Flamina*, &, si Ligorianæ inscriptioni fidendum, FLAMEN TITIALIS. Verum ut Apostolorum Principes aliique eorum sanctissimi sectatores Italiæ Evangelium nunciarunt, Auximum quoque Christiana religio illata est. Id conjecturis, ad quas demum in tanta veterum monumentorum inopia confugiendum est, ita feliciter effecit Dominicus Pannellius, Presbyter eruditissimus, ut vix quidquam ejus hac de re Dissertationi addi posse videatur. Quamobrem mirabitur nemo Dissertationem hanc nostram ex illa fere depromptam esse, quamquam & nos aliquid conabimur de nostro conferre.

II. Hercules Gallius Auximas in patriæ suæ *Descriptione pag.* 12., & Canonicus Antiochus Honuphrius in libro inscripto: *Vetustissimæ Auximatis urbis breves Notitiæ p.* 17., censuerunt,

Auximates a S. Leopardo ad Christianam fidem primum fuisse ab idolorum cultu traductos, sanctum vero Leopardum ab Innocentio I. ad illos missum a. CCCCIV., primumque illorum constitutum Episcopum. Ego vero cum Pannellio, cui etiam P. Maronius adsentitur, S. Leopardum Auximatium Episcoporum primum habendum esse non nego; ajo tamen multo ante S. Leopardi Episcopatum Orthodoxam veritatem Auximatibus & nunciatam & creditam, ac præterea uno fere sæculo citius S. Leopardum Auximati Ecclesiæ præfuisse.

III. Atque ut primum illud de fide Christiana ante sæculum IV. apud Auximates culta ad demonstrandum adgrediar, exstat de Fidei Evangelicæ propagatione insignis L. Cæcilii, sive Lactantii locus in aureo de *mortibus persecutorum* lib. *cap. III.* Agit ille de Principibus, qui a Domitiano ad Decium vixerunt, *& rescissis*, inquit, *actis Tyranni* (Domitiani), *non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit, secutisque temporibus, quibus multi ac boni principes imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in Orientem Occidentemque porrexit; ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu, ad justitiæ opera mitesceret.* Horum similia habes in Irenæi, Tertulliani, Arnobii, aliorumque, quos magno numero indicat Mamachius (*Orig. & Ant. Christ. T. I. p.* 340. *seq.*) veterum scriptorum libris; sed hæc Lactantii & perspicua sunt, & iis præterea temporum spatiis circumscribuntur, quæ ad rem nostram maxime faciunt. Si enim a Domitiani imperio ad Decianum *nullus erat terrarum angulus, quo non religio penetrasset*, quis credat in ipsa Italia non vicum, non pagum, non oppidulum quodpiam, sed splendidissimam Coloniam nonnisi quincto ineunte sæculo Evangelica luce illustratam fuisse? Neque minus credibile est, Apostolorum Principes, Romanosque Pontifices eorum successores, quum in ceteras Italiæ regiones, atque adeo ad dissitas quasque gentes, omnique immanitate barbaras a primis Ecclesiæ temporibus sanctissimos viros miserint, qui illas Christiana sacra edocerent, quatuor omnino sæculis veluti oblitos Auximatium fuisse, qui pæne sub oculos ipsis versabantur, & proximum Romæ Picenum rerum gestarum fama implebant.

Id

Id quidem minus mirandum esset, si Æmilia, si Picenum Annonarium, si Umbria serius Christianam religionem suscepissent; verum quis nesciat fidem nostram sub ipsa ejus primordia non explicatam modo in iis regionibus fuisse, sed etiam altas adeo apud illas egisse radices, ut institutas ibi quarto jam sæculo Ecclesias certissimis monumentis constet? Nimirum Romano Miltiadis Concilio, quod anno CCCXIII. celebratum fuit, inter alios, quos Optatus Milevitanus appellat (*de Schismate Donatistarum lib. I.*) *Stennius ab Arimino*, *Constantius a Faventia*, *Evandrus ab Ursino*, seu, ut post Ughellium Dupinius aliique conjiciunt, ab *Urbino* Episcopi subscribunt. Exstat præterea in Hilarii fragmentis Liberianæ epistolæ ad Cæcilianum Spoletanum Episcopum mentio: quamquam Martyres, quos magno numero Spoleti, Interamnæ, & finitimis locis passos fuisse indubium est, argumento sunt, ante illa tempora religionem nostram ibi floruisse. Quonam igitur fato contigisse dicemus, ut solis Picentibus inter eas urbes mediis Evangelium denegaretur? Sed bene est: *Claudius Episcopus Provinciæ Picenæ* a. CCCLIX. Ariminensi synodo interfuit; interfuit memorato Miltiadis Concilio a. CCCXIII. *Florianus a Sinna*, seu potius a *Pinna*, ut Dupinio ac Pannellio *p. XVI.* visum est. In Picena ergo provincia nunciata Christi fides jam fuerat quarto Æræ nostræ sæculo, atque adeo Episcopi constituti. Quod si ad Christianam religionem Picentes non pauci transierant, cur soli inter Picentes fuerint Auximates aut tam miseri, ut nostra mysteria ignorarint, aut tam insipientes efferative, ut perspecta negligerent omnes, ac detrectarent?

IV. Quamquam quid conjecturis agimus? quum præsto sit fidei Christianæ tertio saltem exeunte sæculo ab Auximatibus susceptæ luculentissimum monumentum. In Actis nimirum Anthimi Martyris, quæ licet Proconsularia non sint, magnam tamen apud viros doctos habent auctoritatem, ut quæ pervetusta, atque adeo, ut Cl. Mazochius conjicit in *Kalend. Neapolit. p.* 520., medio quarto sæculo conscripta videantur, hæc legere est: *Et quia multi erant* (de Confessoribus sermo est, quos Pinianus ex Asia adtulerat)... *divisit eis mansiones per prædia sua in Piceni provincia, quæ possidebat juxta Auximum civitatem, deditque prædium Sisinnio, Diocletiano, & Florentio, qui habebant secum alios plurimos, cum quibus vacabant*

Deo

Deo & Christi laudibus : in quo sine molestia conversantes per tres annos , hoc ordine ad martyrii palmam pervenerunt ; tum narrato, quod sub Diocletiano pertulerunt, martyrio, additur: *Christiani mundaverunt locum , & ibidem sanctos Dei Martyres sepelierunt*. En ergo Christianos Auximi Diocletiano imperante. Sed & illud heic animadvertendum, ex hisce Christianis aliquos fuisse fortassis ab ipsis præclarissimis Christi Confessoribus ad Christum conversos, non tamen omnes ; ut hinc clarissime efficiatur, ante eorum adventum jam Auximi aliquid fuisse de nostra religione auditum. Id autem Pannellius *p. VIII.* hac colligit ratiocinatione. In sanctorum Martyrum Actis nulla injicitur prædicati ab ipsis Evangelii mentio; immo in tranquilla quadam solitudine *per tres annos* commorati videntur ; *sine molestia conversantes per tres annos* : hinc non prædicationis fama , sed Oraculorum responsis detecti *ad martyrii palmam pervenerunt*. Erant igitur Auximi, antequam fortissimi pugiles ad eam urbem adcederent , qui Christo nomen dederant. Illud præterea mihi ejusdem rei argumento est , quod si Piniano in suis prædiis multos jam latere Christianos non constitisset, Sisinnii ceterorumque rebus male consuluisset , eos inter religionis nostræ infensissimos hostes magno ipsorum discrimine collocans ; nec satis intelligi potest , quei *sine molestia* cum aliis plurimis vacassent Deo & Christi laudibus, nisi si Christianos in prædiis illis antea constitutos sumimus. Quod si in prædiis & villis Auximo proximis Christiani jam fuerant , in ipsa quoque urbe fuisse plurimos conjicio. Compertum enim est in pagis, atque aliis id genus locis serius , difficiliusque, quam in ipsis urbibus, amplificatam fuisse fidem, sive indociliore rusticæ gentis indole, sive tenaciore avitæ superstitionis proposito: quare & diuturniora in iisdem locis fuere ethnici cultus vestigia , quemadmodum S. Maximi Taurinensis , aliorumque Patrum homiliæ ostendunt , indicatque ipsum *Paganorum* nomen , quod ad idololatras omnes etiam urbanos designandos sub quarti sæculi finem traductum est.

V. Non is tamen ego sum , qui velim , tantos fuisse apud Auximates fidei Christianæ progressus, ut primo aut altero sæculo Episcopum ipsis datum credam. Verum ne illud quidem mihi persuadebo, ad quinti sæculi initia differenda esse Auximatis Episcopatus primordia. Post sanctorum Sisinnii , Diocletiani ,

tiani, & Florentii cædem auctum ibi fuisse Christianorum cœtum pronum est suspicari, *plures* enim *efficimur*, ut ajebat Tertullianus (*Apolog. c.* 50.) *quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum*. Quare reddita a Constantino Magno Ecclesiæ pace, inque dies crescente Christianorum numero, institutam apud Auximum Episcopalem sedem fuisse, nullus dubito. Primum autem S. Leopardum datum Auximatibus Episcopum perpetua est Auximatis Ecclesiæ traditio, quam nihil est quod non modo labefactet, sed ne vellicet quidem. Nam quod de Picentium Episcopis Regionariis commentus est Marangonius (*lib.I. cap.XI.* operis prænotati *Delle Memorie di Cittanuova*), ita a Pannellio *p. X. seqq.* oppugnatum est, ut refelli ulterius, nisi à bonarum horarum consumptore non debeat. Quod autem plerique ab Innocentio I. Leopardum ad Auximates missum Episcopum adfirment, ex falsa illa persuasione natum omnino est, quod Leopardus noster is sit, quo *laborante* Innocentius I. *dedicavit Basilicam Sanctorum Gervasii & Protasii*, ut in Pontificali libro dicitur. Sed nimirum hi nominis, quod tamen apud Christianos infrequens non fuisse vetustæ Inscriptiones produnt, similitudine decepti sunt, ut cetera mittam, quæ idem Pannellius singulari Dissertatione de *Leopardo Presbytero Romano sub Pontificibus S. Siricio & S. Innocentio* ad calcem operis de *S. Leopardo Auximate Episcopo* egregie disputavit.

DISSERTATIO III.

De Finibus, Juribus, & vicibus Auximatis Episcopatus.

I. FInes, quos inter Auximatium Episcopatus continetur, consideranti primum occurrit Cingulum a Labieno constitutum, suaque pecunia exædificatum Civili bello. Illud autem in quæstionem cadit, umquamne proprium habuerit Episcopum? Benedictus XIII. a. MDCCXXV. Constitutionem edidit, qua *Ecclesia Cingulana æque principaliter cum Auximate conjuncta antiquis honoribus cathedræ Episcopalis restituitur, aliisque Apostolicis privilegiis ornatur*. Ac tres quidem Coletus, aliique memorant antiquos Cinguli Episcopos, Theodosium nescio quem, Julianum, atque Exsuperantium. Verum ad Theodosium

dosium

dosium quod adtinet, quum nonnisi ex apocryphis ac male consarcinatis S. Exsuperantii Actis notus sit, eum delendum e Cingulanorum Episcoporum numero Maronius fatetur. Quare si de S. Exsuperantio ex ejus Actis judicandum est, hic quoque expungendus. Quis enim Actis iis fidat, in quibus, ut cetera nunc omittam, sanctus Episcopus a Paschasio Papa, qui nunquam exstitit (1), ordinatus fertur? Maronius quidem conjecturam proponit, qua pro Paschasio, *detorto paullulum nomine*, legendus esset, *Gelasius*, qui *anno CCCCXCII. Petri sedem implevit*. Sed qui Bollandum, cujus ea fuit sententia, Exsuperantium ex Episcopis illis fuisse, qui sub Theodorico Gothorum Rege, quincto labente sæculo, ex Africa Romam venere ab Arianis ejecti, vel in voluntarium exilium ex Wandalorum odio contra Cathólicos; Paschasiumque non fuisse Summum Pontificem, sed fortasse Ecclesiæ Romanæ diaconum Laurentii schisma sequutum a. CCCCXCVIII.; qui, inquam, Bollandum ita opinantem *conjectura ductum admodum tenui* paullo antea appellaverat, quomodo non tenuem modo, sed nullam conjectationem hancce suam in medium adtulerit, satis equidem mirari non possum. Hoccine dicitur *Paschasii nomen paullulum detorquere*? immo libere ut dicam, nomen refingere est nullis omnino tabulis: quid enim *Paschasio* cum *Gelasio* commune præter litteras *asio*? At hæ in Anastasii nomine itidem leguntur. Immo nescio quid in *Anastasii* nomine *Paschasio* adfinius, quam in *Gelasii*. Quamquam Maronius ipse nos ista prolixius refellere vetat; ait enim ingenue: *sed id est divinare*. Illud potius expendendum, quod ut Cingulanis Exsuperantium adserat, illorum traditionem appellat. Vereor enimvero, ut hæc traditio confirmari satis apte possit. Nam si Cingulanorum traditionem consulimus, Exsuperantium Episcopum fuisse, ac præterea Cingulanorum protectorem, intelligemus; sed Episcopum illum

(1) Paschalem tamen videtur Actorum consarcinator intellexisse. Ac *Paschasii* quidem nomine Paschalem Pontificem fuisse designatum didici ex Inscriptione, quam Romæ in S. Praxedis exstitisse Sarnellius (*Epistol. Ecclesiast. T. VIII. ep. XIX.*) a Fagnano accepit. Ea ejusmodi est:

Quicumque celebràverit, vel celebrare fecerit quinque Missas pro anima parentis vel amici in Purgatorio existentis, dictus Papa PASCHASIUS *dat remissionem plenariam per modum suffragii tali animæ.*

Sed vel hinc scriptor ille ineptissimum se prodit, qui ad Paschalis, sive is primus fuerit, sive secundus, Pontificatum ea retulerit, quæ ab utriusque temporibus dissentanea maxime sunt, ut Arianorum in Urbe potentia.

illum Cingulanorum qua demum traditione comprobabimus? Hoc scio, inscriptionem lipsanothecæ, in qua viri sanctissimi caput adservatur, a multo tempore adpositam id unum habere: *Hoc est caput S. Exsuperantii Episcopi Protectoris Cingulanorum ordinis S. Benedicti* (2). Quæ quidem inscriptio, sive Comensis, sive Ravennatensis Episcopus, quod nonnulli censent, Exsuperantius fuisset, verissima esset. Sed de his rursus postquam de Juliano dixerimus.

II. Ejus semel atque iterum diserta mentio fit in Constituto, quod contra Rusticum, & Sebastianum Romanæ Ecclesiæ Diaconos Vigilius, Constantinopoli quum esset, edidit anno DLIII.. Martorellius ægre ferens Cingulum ab antiquis adeo temporibus Episcopatus honoribus illustratum, ait facile factum fuisse, ut Amanuensis errarit, scripseritque Julianum *Cingulanæ* Ecclesiæ Episcopum, quum alterius fuerit; in cujus rei

 confir-

(2) Prælo parata quum hæc essent, missus est ad me liber Pisaurensibus typis a. 1762. a nobili & erudito viro Francisco Maria Raphaellio evulgatus hoc titulo: *Delle Antichità Cristiane di Cingoli città del Piceno*, *Volume primo*. In eo autem nonnulla offendi, in quibus Cl. auctori mecum non convenit. Quamobrem ne ejus argumenta videar contemnere, in iis refellendis aliquantulum immorabor. Heic enimvero primum occurrit *Servi Dei* nomen, quo in Actis S. Exsuperantius non semel appellatur. Nam negat quidem vir doctus (*pag.* 111. *&* *seq.*) Exsuperantium Benedictinorum Ordini nomen dedisse; sed nihilominus ejusdem monachatum ex ea appellatione colligi posse jam pridem censuerat. At ego monueram in *Historia litteraria Italiæ* (*T.VI. pag.* 482.), duas a Mamachio (*Origin. & Antiquit. Christian. T. IV. pag.* 12.) inscriptiones reddi, Eutychiani alteram, qui *vixit anno* I. *mensibus* II. *diebus* IV., alteram Aureliani cujusdam Paphlagonis, atque in illis utrumque *Servum Dei* nuncupari, quin de illorum monachatu vel suspicio injici possit. Quapropter Raphaellius (*pag.* 81. *& seq.*) multis Patrum testimoniis conatur ostendere, *Monachos* SERVOS DEI *apud antiquos appellatos fuisse*. Jam vero si id negavero, insipientissimus fuero. Hoc igitur ajo, *Servi Dei* appellationem illam non ita Monachorum fuisse, ut ex ea cujuspiam monachatus indubio argumento effici possit. Mittamus quos indicabam, *Eutychiani*, atque *Aureliani* titulos. Quæro, quid Romanis Pontificibus, quid veteribus Episcopis, atque adeo Principibus ipsis usitatius, quam *Servos Servorum Dei* semet inscribere? Cangius exempla suppeditat. Prudensne quispiam *Servos Monachorum* heic intelliget? Immo vero de *Servis Christianæ* in universum *gentis*, si sapimus, formulam illam interpretabimur. Adeo certum est, appellationem illam non fuisse Monachis peculiarem. Monachi quidem *Servi Dei* passim vocantur, quod scilicet ex sanctiore, quod profitentur, instituto inservire Deo alacrius, quam ceteri, non injuria credantur. Verum id nominis ad Christianos omnes pertinet, potissimum vero ad Episcopos, quos propterea *Famuli Christi*, *Servi Christi*, *Servi Jesu Christi* nomina quoque sibi adscripsisse comperimus, ut Cl. Mazochius ostendit ad *Kalend. Neapolit. p.* 691. Nutat ergo Exsuperantii monachatus tam ambiguæ formulæ nixus.

confirmationem addunt alii, *Stephanum* Episcopum *Ariminensem* eidem Vigilii sententiæ subscribere, quum nullum tamen ejus nominis illis temporibus Episcopum Ariminensis Ecclesiæ tabulæ præ se ferant. Quod siquis tamen ab omni errato Amanuenses absolvere velit, adnuentem Martorellium habebit; verum monet ille, non in Piceno solum, sed & in Latio Cingulanos fuisse, auctore Plinio *lib. III. cap. V.*: ad Cingulanos porro Latii Julianum spectasse, sunt qui ex eo conjiciant, quod qui Vigilium Constantinopolim sequuti sunt Episcopi, plerique suburbicarii, & ex Latio fuerint. Verum hæc nullo negocio refelluntur. Nam Ariminensibus Episcopis *Stephanus* ex ipso illo Vigilii Constituto in nova Ughellii editione restitutus fuit, ac jure sane ac merito; ut enim ostendit Dominicus Georgius (*de Cathedra Serina n. LVII.*) subscriptiones Episcoporum detectæ Episcopalium sedium chronologiam mirifice illustrant, emendantque. Quidni ergo Julianum Cingulanam Ecclesiam rexisse ejusdem Constituti auctoritas suadeat? Sed opus non est Vigiliano Constituto, ut Julianum Cingulanæ Ecclesiæ tribuamus. Exstant ad Julianum *Cingulanum Episcopum* Pelagii Papæ epistolæ duæ, altera a Baluzio (*T. V. Miscell. pag.* 466.) primum divulgata, altera ab Holstenio pridem indicata in notis ad Carolum a S. Paullo *pag.* mihi 15., nuperrime autem a Balleriniis edita ex MS. Canonum Collectione Cardinalis Deusdedit, *Tom. III. oper. S. Leonis M. pag. CCCV.* Quis porro, nisi præconceptis opinionibus duci se patiatur, sibi persuadeat unquam, Amanuenses omnes in *Cingulana Ecclesia* scribenda, scribendoque Episcopo *Cingulano* dormitasse? De Cingulanis Latii quod secundo loco dicebatur, æque ineptum est. Quos Plinius memorat populos Cingulanos in Latio (uti a P. Maronio observatum quoque est; honoris autem gratia ejus uti verbis malo quam meis) *ex iis fuisse dicendi sunt, qui ante Rempublicam, imo fortasse ante conditam Romam oppidum aliquod in Latio incoluerunt. Quod tamen una cum ceteris, quorum Plinius ibidem mentionem facit, ita excidere debuit, ut rebus Romanorum florentibus nullum foret. Quis enim unquam ejus oppidi inter scriptores meminit præter Plinium, Latii incolas, regnante Evandro, vel etiam, si diis placet, Saturno, de industria commemorantem?* Sed & illud ego animadverti diligenter velim. In ea Pelagii epistola, quam in lucem a Balleriniis emissam

nuper

nuper ajebam, hæc leguntur: *Constat dilectionem tuam intulisse rationibus Ecclesiæ ex præstatione massarum, sive fundorum per Picenum ultra XI. positorum, quod curæ tuæ commissum est, de indictione VII. filio nostro Anastasio argentario, & arcario Ecclesiæ nostræ auri solidos D.* Quid, quæso, propius vero est, Cingulano Latii Episcopo hanc curam delatam fuisse, an Cingulano apud Picentes? Intelligunt omnes, licet Cingulanos in Latio Episcopos exstitisse largiamur, non illis Picenum committi debuisse, sed Cingulano in Picentibus. Jam vero ut ad Vigilii Constitutum redeam, fateor equidem Episcopos, qui sententiæ illi subscribunt, plures fuisse suburbicarios, & Latii Episcopos. At quid inde? Nonne, ut nunc Ariminensem Episcopum prætercam, Vigiliano Constituto subscripsit Quodvultdeus Numanatis Ecclesiæ Episcopus? & Cingulanus non potuit? Imo vel maxime ipsa illa de caussa, quam adversarii prætexunt. Cingulum enim intra Picenum suburbicarium situm erat.

III. Illud Martorellii erat, si Auximatium suorum jura ad criticæ artis leges tueri voluisset, ostendere, Julianum non tam Cingulanorum, quam Auximatium fuisse Episcopum. Mirabuntur Cingulani, Auximates ipsi mirabuntur hæc scribi a me. Mihi tamen longe verisimillimum est, Julianum Auximatibus Episcopis esse adcensendum. Nam Cingulano Episcopo tantam Piceni partem paruisse, ut in ea massæ fundique Ecclesiæ Romanæ undecim exstarent, ex quibus D. solidi auri in arcam ejusdem Ecclesiæ inferrentur, post *continuam XXV. & eo amplius annorum vastationem bellicam in Italiæ regionibus accidentem, & pene adhuc minime discedentem*, ut Pelagius ipse ait apud Ballerinios *pag. CCCV.* in epistola *Boetio Præfecto Prætorio Africæ* inscripta, incredibile est. Si Julianus Auximati quoque Ecclesiæ cum Cingulana præfuit, plana omnia sunt atque perspicua (3). Constantinopolim quoque Auximatis Ec-

(3) Nam quod Raphaellius *p.* 188. adserit patrimonium Juliani curæ creditum illud ipsum fuisse, quod a Luitprando Rege Zachariæ Pontifici redditum narrat Anastasius, Vignolianæ editionis *T.II. pag.64.*, *Auximanum* scilicet, & *Anconitanum*, atque *Numanas*; immo ipsas Auximi, Anconæ, & Numanæ urbes patrimonii nomine habitas, non satis mihi probatur. Dum enim Pontifex ait per *Picenum .. quod curæ tuæ commissum est*, non totum Picenum indicare videtur, sed Piceni partem, illam scilicet, quæ una a Juliano Episcopo administrabatur; nec in toto Piceno Romanæ Ecclesiæ XI. tantummodo fundos fuisse mihi persuadeo.

clesiæ Episcopum iis temporibus contendisse verisimilius est; quam unius Cingulanæ; quum enim Auximum a Gothis occupatum esset, & ingens adversus Romanorum duces præsidium haberetur, intelligimus, qua de caussa amantissimus sui gregis Episcopus Romanorum Imperatorem adierit, ut scilicet vel proditionis, atque in Romani nominis inimicos officiorum, gratiæque suspicionem a suis Auximatibus amoliretur, vel ut sacras litteras ad Belisarium in Italia ducem impetraret, quibus urbis illius a Gothorum manibus liberatio urgeretur, & Romanus ipse exercitus a rapinis cædibusque prohiberetur.

IV. Cur ergo, inquies, Julianus *Cingulanæ Ecclesiæ*, non *Auximatis* inscribitur? Georgius in Dissertatione, quam nuper appellabam, *de Cathedra Episcopali Setina n. LXXXVIII.*, multis ex omni Christiana antiquitate petitis exemplis ostendit, conjunctarum sedium Episcopos modo unius, modo alterius nomen pro arbitrio usurpasse. Caussæ porro multæ esse poterant, cur Julianus *Cingulanæ* potius quam *Auximatis* Ecclesiæ Episcopus diceretur. Bello enim Gothico, quod anno DLII. confectum est, ac diuturna obsidione vastatum, dirutumque quum esset Auximum, alterius conjunctæ Ecclesiæ nomen adhibere pronum Juliano fuit. Quid si vero quo tempore in Gothorum potestate Auximum erat, Julianus ad Episcopalem cathedram evectus fuerit? Tum enimvero prudentiæ fuisset Auximatis sedis titulum dissimulare, ne Gothorum, quibus inconsultis Episcopi electio facta esset, in clerum, Ecclesiasque iræ exardescerent.

V. Hoc interea constat, Cingulum Episcopalis sedis honoribus medio sexto sæculo fuisse insignitum. Conjunctum autem Auximati Ecclesiæ suspicor ab Exsuperantii obitu. Nam licet sancti Episcopi Acta nullius antiquitatis aut pretii sint, non video cur conficta esse omnia debeant, ne Theodosii quidem, atque Exsuperantii Episcopatu excepto. Immo quum Juliani temporibus *Cingulanam Ecclesiam*, idest sedem Episcopalem, habeamus, illud necesse est, aut tunc primo Ecclesiam illam fuisse institutam, bello scilicet furente, atque adeo temporibus ad ejusmodi novitates minime opportunis, aut diu antea exstitisse. Si autem Cingulanam Ecclesiam ante Julianum agnoscimus, quos illi Eiscopos dabimus, quam quos ipsius monumenta, licet fabulis corrupta, exhibent, Theodosium atque Exsuperantium?

tium? Mortuo autem Exsuperantio, nullum Cinguli deinceps electum Episcopum ipsa Sancti illius Acta indicant. Nam duodecim ab ejus morte annis venisse dicitur Angelus Domini ad Formarium sanctissimum Sacerdotem in visione, & dixisse ei: *Nuntia per quatuor civitates vicinas, ut veniant Episcopi cum omni populo, & cum omni ministerio Ecclesiastico &c.* Nullus ergo Cinguli tum erat Episcopus (4); nec certe si quis post Exsuperantium præfectus Ecclesiæ Cingulanæ fuisset Episcopus, alius is a Formario esse debuerat, cujus sanctitas auctoritasque apud Cingulanos plurimum poterat. Itaque facile mihi persuadeo paullo post Cingulanam Ecclesiam alteri fuisse conjunctam, ipsis, quibus S. Exsuperantii translatio claruit, miraculis Romanum Pontificem monentibus, ut Cingulanum gregem sanctissimo Viro dilectum pastore diutius carere non pateretur. Cur autem Auximati potius adjunctam credam, facit cum Auximatis ipsius urbis dignitas, quæ tanta erat, ut, quod Procopius scribit, Piceni Metropolis haberetur, tum, quam a multis retro sæculis indubia monumenta testantur, Auximatis Episcopi in Cingulanam Ecclesiam auctoritas. Quod si Cingulani Julianum omnino suum esse velint, neque unquam Auximati Ecclesiæ præfuisse contendant, per me demum licebit; neque enim conjecturas meas tanti facio, ut illis quempiam doleam refragari. Tunc porro nova suborietur quæstio de tempore, quo Auximati Episcopo Cingulana sedes adscripta primum fuerit. Cl. Raphaellius in Lamianis Ephemeridibus *a.* 1752. *col.* 611. *seqq.* conjicit, circa annum DLXV. teterrima illa, quæ Italiam late depo-

(4) *Sacerdotis* quidem nomine Episcopi priscis temporibus designabantur. Raphaellius *p.* 114. Muratorium appellat, qui hac de re *T. III. Antiq. Italic. pag.* 331. *Italicæ editionis* disseruerit. Mamachium quoque adferre poterat, Sirmondum, aliosque: quin & ego *T. VI. Histor. litter. pag.* 502. aliquid hanc in rem contuli. Verum frustra ad Formarii adserendum Episcopatum *Sacerdotis* nomen a Viro docto urgetur. Quæ enim nomini cuipiam subsit apud aliquem scriptorem significatio, non tam ex aliorum usu, quam ex ejus scriptoris indole, atque universa sententia petendum est. Enimvero Actorum illorum consarcinator *Sacerdotis* nomine nonnisi Presbyterum intellexit. Nam quis credat, eum, qui de Exsuperantio quum loqueretur, *Episcopi* nomen semper usurpaverat, Episcopalem Formarii dignitatem uno *Sacerdotis* nomine designasse? Quid? quod hoc ipso in loco, in quo Antistites a Formario ad Exsuperantii corpus transferendum Dei jussu adcersitos commemorat, *Episcopos* illos vocat, non *Sacerdotes*. Tanta porro in *Episcopi* nomine usurpando scriptoris nostri constantia minime patitur, ut alterum illud *Sacerdotis* ad Episcopum denotandum traducamus.

depopulata est; pestilentia, Cingulum jacuisse vastum, atque desertum; Julianum Episcopum occubuisse; clerum vel fusum per finitima loca ac dispersum, vel enectum; ad hanc praeterea calamitatem adcedente Langobardorum in Picenum irruptione, fuisse urbem illam omni honore spoliatam, tuncque demum Camerinensi Episcopo adscriptam; medio tandem octavo saeculo Auximates Episcopos, qua erant auctoritate ac potentia, suis eam juribus vindicasse. At haec ingeniosius quam verius excogitata sunt (5); nec dubitaverim, quin paullo post Juliani obitum, sive pestilentia, sive bello Cingulanorum rebus adflictis, Ecclesia illa in Auximatium Episcoporum jurisdictionem concesserit. Haec de Cingulo, ejusque Ecclesia mihi maxime probabilia.

VI. Lucentius praeter Cingulum loca haec enumerat, quae Auximati Episcopo subsunt: *Monte Filatrano*, *Staffolo*, *Appignano*, *Monte Fano*, *Offagna*. Verum addendum fuisset, terram S. Severini, antequam civitatis titulo, atque Episcopali sede decoraretur, ad Auximatem, ut loquimur, dioecesim pertinuisse. Vidi Auximi exemplum diplomatis, quo Bonifacius IX. *concessit Indulgentiam Fratribus Ordinis Praedicatorum Ecclesiae Sanctae Mariae de Mercato Terrae S. Severini* AUXIMANAE DIOECESIS, *Id. Maii*, *Pontificatus sui anno VII.*, *MCCCXCVI.* Attamen ne id credamus, vetat Cl. Turchius in *de Episcopis Camerinensibus pag.* 273. *n. XIII.*, qui *Auximanam* dioecesim pro *Camerinensi* Amanuensis errore in illud diploma irrepsisse arbitratur. Hoc potius exploratum est, Montem S. Mariae in Cassiano, *Monte Cassiano*, Auximati Episcopo a priscis temporibus obnoxium fuisse ad usque Sixti V. Pontificatum, qui castrum illud ab Auximate paroecia abstractum Lauretanae cathedrae ab se recens constitutae adtribuit.

VII. Ad Auximatis Episcopatus jura me converto. Ac primum fuisse illi jus, quod vocant *Feudale*, in XL. viros castri Ficardi perspicuum fit ex Instrumento, quod a Martorellio *p.* 70. adlatum, atque a nobis emendatum heic habes.

Anno

(5) Raphaellius ipse in nuperrimo, quem supra memorabam, libro *p.* 210. in nostram abiit sententiam, suamque illam libens abjecit.

Anno Domini 1196. Mense Januarii, Indictione XIV. Auximi civitate.

IN *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Nos consules & populus castri Ficardi promittimus, & per sacramentum corporaliter præstitum affirmamus, quod faciemus fieri, & præstare fidelitatem Ecclesiæ S. Leopardi, & D.G.* (Gentilem intellige) *Episcopo, ejusque successoribus ab hominibus prædicti castri, qui detinent res Ecclesiæ S. Leopardi Auximani Episcopatus, quadraginta, & pluribus, si fuerint detemptores rerum prædictarum, si non fuerint quadraginta, supplebimus de aliis, qui non detinent res Ecclesiasticas, & præfati consules cum toto populo per nos, & per nostros successores, & hæredes annuatim in festo Sancti Leopardi semper mittere & dare cereum unum decem librarum prædictæ Ecclesiæ.*

VIII. Præterea de castro Montis Urbani hoc exstat in Auximatis urbis Archivo monumentum, libro rubro, ut ajunt, inscriptum, *pag.* 8.

In Dei nomine, Amen. Anni sunt ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1199., mense septembri, tempore Domini Innocentii summi Pontificis, & universalis Papæ, Imperatore non existente, indictione sexta (secunda, non sexta Indictio tunc decurrebat; sed ejusmodi errata Amanuensis imperitiæ faciles damus) *Auximi civitate. Nos Consules castri Montis Urbani, qui olim habitavimus in castro Montis S. Mariæ, scilicet Albericus Attonis Gisi, Noradinus ..... Gozzoradi, Folcovinus Attonis Guilielmi, & Rainaldus Gozzonis pro nobis & pro nostris successoribus, & pro tota communitate prædicti castri Montis Urbani propria & spontanea nostra bona voluntate renuntiantes in hoc facto omni exceptioni nobis competenti, & competituræ, juramus, & promittimus tibi Domino Attoni Potestati Auximi, & tuis successoribus pro Communitate Auximi idem negotium Domini Gentilis Auximani Episcopi, qui pro sua Ecclesia qualitercumque ordinavit cum Comite Petro de suis rationibus in prædicto castro, ita ratum, & firmum habere promittimus, & promittimus dare dicto Domino Episcopo auxilium & consilia de suis justiciis, & rationibus, & de ipsa ordinacione, quam Dominus Gentilis Episcopus fecit cum Comite Petro, promittimus facere testimo-*

stimoniatum jurejurando, si necesse fuerit. Insuper promittimus, & juramus per nos, & per nostros hæredes, & successores tibi dicto Domino Attoni Potestati, & Domino Gentili Episcopo, & vestris successoribus nomine Ecclesiæ Sancti Leopardi dare & deferre annuatim omni anno in festo Sancti Leopardi unum Pallium de seta valoris quadraginta solidorum Lucensis monete .... & insuper promittimus renovare sacramenta de quinquennio in quinquennio. Et si hæc omnia, quæ suprascripta sunt, observare noluerimus, aut in aliquo corruperimus, tam nos, quam hæredes pro communitate dicti castri, centum marchas argenti vobis Domino Attoni Potestati Auximi, & tuis successoribus pro communitate Auximi dare, & solvere promittimus, soluta pœna, cartula hac, & omnia, quæ superius habentur, nihilominus rata permanere; & nos Lambertus Berardi Guidonis, Carbonus Attonis Guilelmi similiter hæc omnia prædicta juramus, & observare promittimus. Hoc actum est in præsentia Domini Gentilis Auximani Episcopi, Domini Filippi Archipresbyteri, Magistri Mathæi Synebaldi, Ismundi Bernardi, Bartholomæi Johannis, Symonis Petri, Guilelmi Tassionis, Gislenii Rainaldi, Andreæ Camerarii, Bonifacii Barusiani, Blasii Gisleni, & Alberti Carbonis, Andreæ Alebrandini, & aliorum plurium.

IX. Eodem anno & mense aliud instrumentum, quod in eodem libro rubro *pag.* 2. legitur, mentionem injicit *castri Isolæ de Larzano*. Illud reddit Ughellius infra, & nos suo loco emendatius dabimus. Alia castra, in quæ Episcopus Auximas jus habuit, in eo Cingulanorum monumento recensentur, quod non Martorellius modo *p.* 86., sed & infra Ughellius describit. Nos ibi illud emendatum exhibebimus. Sunt autem ea castra Sancti Vitalis, Cerlongi, Arzioni &c. Hinc a. MCCIV. *Presbyter Venutus, & Golfus consules castri S. Vitalis una cum tota communitate prædicti castri* Gotteboldo promiserunt, ut in libro rubro ajunt *p.* 3., *castrum Sancti Vitalis defendere, manutenere, juvare, & salvare in perpetuum &c. salva ratione Gentilis Episcopi, & ejus successorum.*

X. Neque omittendum commune Storaci. Recito hanc in rem S. Benvenuti Auximatis Episcopi litteras, quarum apographum in Episcopali Archivo adservatur, a. 1272. 16. Aprilis perscriptas.

Dictus Bonusannus nomine D. Episc. prædicti ex parte ipsius Episc.

Episc. presentavit, & dedit Roczono Sabbatini, consuli communis Storaci, pro ipso communi, litteras dicti D. Episcopi, scriptas in quadam cedula carte bombicis, sigillate sigillo ipsius D. Episc. cum cera viridi, quarum tenor est.

Benvenutus Dei gratia Episc. Auxim. Consuli, consilio, & communi Storaci salutem in Dño. Quod omnes tangit, debet ab omnibus comprobari, & ideo volumus presentium vobis tenore mandantes, quod si aliquem in castellanum vos recipere contigerit, nullum recipiatis in castellanum vel habitatorem, nisi prius per nos fuerit comprobatus, ne aliquis admittatur, qui nobis & vobis scandalum generaret. Et ideo melius ante tempus occurrere, quam postquam vulneratum, contra remedium postulare, quia jacula, que previdentur, minus feriunt. Que nostra approbacio non credatur, nisi per instrumentum publicum non constiterit, per bonum & legalem notarium confectum, conscriptum per duos fideles notarios, & nostri sigilli munimine roboratum. Si autem vos contra hanc nostram prohibitionem & approbacionem aliquem vel aliquos reciperetis, castellaniam cassamus hujusmodi, & communi Storaci in mille, consulem in D., sindicum in C., quemlibet consiliariorum in C., & aliam specialem personam contra nostras illas litteras consulentem, vel arrogantem, vel consentientem, in L. lib. Ravenn. Anc. ex nunc, ita quod ex tunc eccles. Auxim., seu camere nostre solvantur, condempnamus. Et si aliquis predictorum non esset solvendo, sit perpetuo forbanditus, & bona sua omnia & singula eccl. Aux., seu nostre camere confiscamus. Et si statutum aliquod seu ordinacionem fecissetis de aliqua speciali persona recipienda ad castellaniam, intra 8. dies irritum, & radi de libro vestri capituli faciatis sub penis, & bannis prædictis. Et si cassare & radi facere forsitan neglexeritis, nos ipsum .... presentium cassum, irritum decernimus, & inane. Et quia consideramus propter edificationem castri, quod fecistis contra prohibitionem nostram, nobis & vobis pericula inminere, vobis sub dictis bannis & penis precipimus, quod in ipso castro, & circa ipsum castrum nullum murum, nullam municionem .... presumatis sine nostra speciali licentia petita & obtenta, & edificium ibi factum destruatis, & in statum pristinum reducatis usque ad XV. .... sub penis predictis.

Alias ejusmodi litteras dedit Benvenutus a. MCCLXXIV. Johanni Attonis Corradi consuli communis Storaci, quæ in eodem Archivo exstant.

D XI.

XI. Supereſt ut de Auximatis Epiſcopatus vicibus agamus: Eæ variam urbis fortunam conſequutæ ſunt. Ac primum Gregorius IX. Auximates Friderico II. Imperatori adhæſiſſe indignatus Conſtitutionem edidit a. MCCXLI., qua ad Recinetenſem urbem Auximatem ſedem tranſtulit. *Et congruum exiſtimantes*, inquit, *ut caſtrum Racanatenſe, quod de cætero eſſe civitatem ſtatuimus, gratia honorificentiæ extollamus, de communi fratrum noſtrorum conſenſu & aſſenſu, Terræ veſtræ, quam a juriſdictione eccleſiæ Numanatæ eximimus, Epiſcopalem concedimus dignitatem, a maledictionis filiis populo Auximano, qui dicto Friderico Dei Eccleſiam perſequenti divino timore poſtpoſito damnabiliter adhæſerunt, ad eccleſiam Sancti Flaviani de dicto loco, quam de cætero cathedralem eſſe decernimus, Auximanam ſedem cum omnibus juribus ſuis, dignitatibus, & honoribus transferentes &c.* At Urbanus IV. Auximates cupiens ad bonam frugem redire, haſce ad eos litteras dedit, quas mendoſe a Martorellio editas *p.* 122., correctas a nobis ſubjicio.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, & Communi Auſimano Spiritum conſilii ſanioris.

Naviculæ Petri, quam nobis licet indignis Omnipotens Dominus committere voluit, ſuſcepto regimine, priuſquam ejus de littoribus fune ſoluto ſinuoſa illius vela ventis explicita traderemus, mens noſtra conſilio perpenſo diſpoſuit ſic tumidos guerrarum, & diſcordiæ fluctus, quibus mare hujus ſæculi ubique, ac præſertim in partibus Italiæ, irruentibus ventis a regione deſerti, illudque concutientibus, æſtuat, illo nobis cohoperante, qui mari & ventis imperat, & ſtatuit procellas in aura, auſtrali pacis & concordiæ lenitate ſubſternere, ut cum in altum ipſius ſæculi pelagus eadem Navicula noſtra fuerit auctore Domino gubernatione perducta, ſedatis undique procelloſis turbinibus, placida & quieta poſſit æquora officioſa remorum repercuſſione ſulcare, ac ad portum ſalutis, ſuavis flaminis aura ipſius reverberante lintea, feliciter pervenire: hujuſmodi autem ſalubris intentionis noſtræ propoſitum, quod noſter animus non ſine divina inſpiratione concepit, cupientes ad vos, & alios Marchiæ Anconitanæ populos, quos a fidelitate, ac devotione Romanæ Matris Eccleſiæ quædam quaſi levitas mentium, aliquorum forſitan

tan duro regimine provocata & exasperata, subduxit, in hujus nostræ novitatis initio eo propensiori & attentiori convertere studio, quo clariori & firmiori certitudine tenemus & novimus, Marchiam eamdem principalius & peculiarius ad eamdem pertinere Ecclesiam, vosque specialius & plenius ipsi Ecclesiæ, ejusque temporali dominio subjacere. Nam licet erga præfatam Ecclesiam vestram Matrem & Dominam usi fueritis hactenus, & utamini duritia privignorum; quia tamen tenera matris affectio de duris etiam filiis eam cogitare compellit, cum nunquam sic genetrix possit natorum suorum excessibus provocari, quin ipsa nativi fœderis unione constricta de illis semper velut timens & pervigil meditetur, dignum fore providimus ad conversionem vestram primitiva nostræ sollicitudinis studia derivare, ac laborare constanter ad hoc, ut relicta perditionis via, qua periculose inceditis, ad salutis & rectitudinis tramitem tute ac celeriter redeatis. Et quidem nostis, quod Apostolica sedes circa prosperum & felicem statum dictæ Marchiæ sub diversitate temporum adhibuit quam potuit opem & operam efficacem, nec ignoratis quot persecutiones, quot vexationes, quot molestias, & pressuras occasione Marchiæ ipsius eadem Ecclesia pertulit, & quot labores, quotque sumptus inextimabiles pro ejus defensione Romani Pontifices prædecessores nostri, qui fuere pro tempore, subierunt. Et licet prædicta sedes frequenter pro illa persecutorum invalescente tiramnide, duras & asperas adversitatum persenserit punctiones, nunquam tamen ab ejusdem Marchiæ defensione, suique profectus prosecutione cessavit; sed velut tenera mater & diligens pro ipsius populo semper stetit, & obfirmavit vultum adversus pestilentiæ principes, qui conati sunt illam ab ipsius sedis fidelitate subtrahere, suæque subdere servituti. Cum igitur horum omnium notitiam habeatis, non indigne putamus, quod vos ad prædictam sedem devotionem debitam non habentes, magna recognoscentes beneficia vobis ab illa collata, suave ipsius jugum, onusque leve non sine ingratitudinis, & inconstantiæ nota impudenter & imprudenter effugere, ac aspero persecutorum ejus dominio voluntarie colla submittere præsumpsistis, nequaquam considerantes, quod viperea persecutorum ipsorum generatio subjectos sibi populos cædere scorpionibus, ac in luto, & latere affligere consuevit. Nam si olim sæcularium principum Cæsarea vos arctante potentia, nonnumquam ab ipsius sedis devotione duxeritis

ritis divertendum, vis, & metus, qui cadere poterat in constantes, vos super hoc reddere potuit forsitan in aliquo excusatos; sed nunc cum operante Regis æterni clementia, quæ curvat imperia, potentatus persequentium Imperatorum & Principum cessaverunt, nec est qui possit vos violenter invitos sub sua servitute tenere, ad nulla excusationis suffragia poteritis habere recursum, si voluntarie adversario Ecclesiæ ulterius adhærendo non curaveritis ad sinum ipsius Ecclesiæ, qui numquam clauditur ad illam redeuntibus, cum omni humilitate redire, ac offerre sibi pœnitentiæ munera, & contriti cordis, ac humiliati spiritus holocausta.

Verum quia regiminis asperitas, qua vos forte aliqui, quibus erat tum Marchia eadem a dicta sede commissa, injuste vos vexabant occasionibus, & indebitis exactionibus molestabant, causam vobis rebellionis hujusmodi dicitur præbuisse, cum tamen nullæ tribulationum aquæ vestram erga præfatam Ecclesiam debuissent extinguere charitatem; nos conjicientes ex præteritis qualiter agi debeat in futuris, ac volentes vobis in hac parte specialiter providere, tali personæ ecclesiasticæ curam & regimen ipsius Marchiæ duximus committendam, cujus fidei firmitatem in multis arduis jam probatam præfata Ecclesia experimento cognovit, & quæ vos in omni benegnitate ac humanitate tractabit, scietque Marchiam ipsam lucidis justitiæ ac pacis operibus, quæ potissime requiruntur in præside, auctore Domino feliciter gubernare. Ideoque Universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, ac obsecramus per aspersionem Sanguinis Jesu Christi, per Apostolica vobis scripta nihilominus districte vobis præcipiendo mandantes, quatenus attendentes provide, quod generalis Pater, & Pastor totius fidei Christianæ de vestra salute sollicitus ad communionem fidelium, extra quam culpæ ac transgressiones vestræ vos posuisse noscuntur, paternis monitis & exhortationibus vos invitat, pensantes etiam qualiter honori vestro expediat atque famæ, adversario Ecclesiæ prædictæ relicto, toto corde converti ad Dominum, eidem adhærendo Ecclesiæ, ac ejus parendo humiliter beneplacitis & mandatis, sicut divinam caram habetis gratiam, statim receptis præsentibus de hujusmodi conversione vestra sollicite cogitare, & ad dulces memoratæ sedis amplexus, quæ vos extensis brachiis clementer expetit & expectat, omni prorsus dilatione ac difficultate remotis,

redi

redire curetis; ut sicut aliorum de ipsa Marchia praeduces fuistis in lubrico aversionis a Deo & a sede praedicta, sic in consilio reversionis ad Deum & sedem eamdem duces efficiamini eorumdem, & sicut arma contra justitiam sedis ejusdem in subversione pacis ipsius Marchiae persecutoribus Ecclesiae dampnabiliter adunastis, sic ea in obsequium justitiae, ac pacis usum utiliter convertatis, scituri pro certo, quod in nobis invenietis, dante Domino, misericordiam, gratiam, & favorem, & in praedicta Ecclesia quidquid in benigna & pia matre consuevit a filiis inveniri. Si vero (quod absit) in cepta duritia duxeritis persistendum, pertinatiae vestrae erit, si perstiteritis, non severitati ecclesiasticae imputandum: Nos enim nequaquam dissimulare poterimus, quin si misericordiam spreveritis, ceptum adversus vos per sedem praedictam rigidae disciplinae juditium exequamur, qui parati sumus secundum Apostolum obstinatam contumaciam in obedientiam vindicare. Datum Viterbii II. Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno primo.

Quum porro Auximates paruissent, eos beneficentissimus Pontifex omnibus officiis cumulavit, sedemque Episcopalem illis reddidit amplissima Constitutione, quam Ughellius recitat.

XII. Sequenti saeculo iterum Auximates Episcopali sede privati fuere. Ughellius non satis sibi constat; dum enim de Bernardo agit, hanc poenam ait ab Johanne XXII. Auximatibus inflictam; dum vero de Alberto Bosone, eam Benedicto XII. tribuit. Sed dubio procul Johannes XXII. in Auximates tunc animadvertit. Ejus litteras infra opportuniore loco exhibebimus, ubi de F. Sinibaldo agemus. Urbanus porro V. anno fere post Johannis sententiam XLII. Auximates benevolentia, quam singulari in Apostolicam sedem studio promeriti erant, complexus, eos Episcopalis sedis dignitati restituit. Et hujus Pontificis litteras Ughellius quum reddat, illas hoc loco omittimus.



DIS-

DISSERTATIO IV.

De principe Auximate templo, ac veteribus quibusdam Auximatis sive urbis sive diœcesis monasteriis.

§. I.

De principe Auximate templo.

I. QUum ad Auximatium Episcoporum seriem reformandam illustrandamque monumenta perquirens non pauca invenerim ad principis templi, veterumque ejus urbis monasteriorum historiam pertinentia, neque illa scitu injucunda, ea in hanc Dissertationem conferenda omnia duxi. Tria porro de principe templo disquirenda mihi esse video, quæ scilicet ad illius ædificium, dedicationem, & Canonicos spectant. Memini autem, ut ab ædificio exordiar, audisse me Auximi quum conciones haberem, egregiam Cl. Compagnonii Episcopi de eo argumento dissertationem, cujus utinam copia mihi nunc esset! Quæ tamen memoria complecti licuit, ea promam, meis tamen conjecturis intermixta. Templum igitur aliquod a S. Leopardo primo Auximatium Antistite exstructum fuisse, quis dubitet? Ad XII. sæculum, quo Gentilis Episcopatum tenuit, nullam aut instaurati, aut a solo restituti templi mentionem invenio. Verum a S. Leopardi temporibus ad ista primam illam ecclesiam perstitisse fere incredibile est, in tanta præsertim bellorum vastatione, & diuturna illa, quam supra memorabamus, Gothorum obsidione. Quid? quod templi humilitas, atque angustiæ, quo tempore Gentilis ad illud amplificandum adgressus est, sequiora tempora indicant, non felicissima illa, ac dignitatis plena, quibus urbes Piceni fere universas Auximum anteibat. Nam licet primum a Leopardo constructum templum, Auximatibus omnibus Christo nondum adjunctis, perexiguum fuisse non difficilis dem, ut tamen nobilissimus ordo, populusque universus idola disjecit, cultumque eorum ejuravit, nihil priori templo splendoris, atque amplitudinis additum, aut potius templum ipsum ad urbis æque atque Christiani nominis dignitatem non fuisse refectum, minime credam.

II. Sed quid a Gentili XII. sæculo factum fuerit, a Zacchio

in Auximatium Episcoporum Catalogo accipiamus: *Hic*, inquit, *ecclesiam existentem prius humilem brevemque elevavit, atque duplo fere longiorem reddidit: Sancta Sanctorum magnifico opere construens, in ea Episcopalem sedem marmoream locat, & altare majus Matri Salvatoris dicatum erigit*. Zacchio nota erant, quæ in historia inventionis S. Leopardi leguntur: *Temporibus autem Bonifatii Papæ VIII. quidam Johannes Auximanorum præclarus Episcopus, sanctitate plenus, & in ecclesiis restaurandis sollicitus & devotus, basilicam, quam Sanctus Vitalianus in nomine & honore S. Leopardi construxit, propter ipsius brevitatem studuit ampliare*. Nihilo tamen minus fidem illis non habuit, quæ vera si essent, quum uno fere sæculo Johannes Gentili junior fuerit, non Gentili, sed Johanni ea laus amplificati *humilis brevisque templi* tribuenda foret. Hinc tamen aliquid lucis adfulget, unde intelligamus, quemnam *humilis illa brevisque ecclesia*, quam Gentilis ampliorem reddidit, auctorem habuerit, Vitalianum scilicet. Quamobrem quæ de templo sequioribus temporibus iterum ædificato conjeceram, lucem accipiunt.

III. Jam vero quæ sequuti Episcopi ad templi ornamentum curarunt, hæc sunt. *Andreas Monticulanus Episcopus Auximanus* (utor verbis anonymi, qui Auximano Usuardini Martyrologii exemplari nonnulla adjecit ad Auximatem ecclesiam pertinentia, a Cl. Pannellio redditis in egregia præfatione ad librum inscriptum: *Memorie Istoriche de' Ss. Vitaliano e Benvenuto, p. XVIII.*) *magnifici operis musicum organum fecit, fenestras hujus basilice vitro obseravit, rubri & albi serici singulas casulas, singulas dalmaticas, singulasque tunicellas, item ex argentea materia vivifice Crucis pregrande tropheum, ac spetiosum tabernaculum, in quo Corporis Christi ostia reconditur, dono dedit*. Porro Johannes Baptista Sinibaldius fornice templum instruxit, quod gentis insignia indicant. Theodosius autem Florentius, diruto antiquo altari majore orientem versus sito, quod a Gentili Episcopo, novum licet ad occidentem addidisset, servatum fuerat, portam satis amplam aperuit, quæ major nunc est. Conferenda heic sunt, quæ de duplici ara majore in Auximatium principe templo idem Pannellius uberrime disseruit *p. 37. seq.* operis sæpe a me laudati, laudandique *Memorie Istoriche di S. Leopardo*. Sed pergamus. Opitius Cardinalis Pallavicinius

cinius templum dealbavit, ac novo pavimento exornavit. Illud vero dealbavit iterum Spada, ac præterea Confessionis, ubi Sanctorum corpora adservantur, fornicem affabre pingi jussit. Præterea, Lanfredinio Episcopo, nova ara major in medio choro collocata est, sed Gentilis Episcopi vetere illa, consilium minime bonum dolentibus sacrarum antiquitatum studiosis, deturbata, ac plane disjecta. Tandem Compagnonius Præsul decessorum suorum ectypis picturæ opere diligenter expressis, atque ad temporum, quibus quisque floruit, seriem accurate dispositis superiore anno templum hocce exornavit, cujus rei testem inscriptionem profero, quæ seriem illam claudit.

D. O. M.
EPISCOPORUM . AUXIMATIUM
SERIEM
QUOAD . LICUIT
SINGULORUM . IMAGINIBUS
ET . MULTIS . ETIAM . AD . VIVUM
PICTURA . EXPRESSIS
ATQUE . IISDEM . CORONIDE
EX . SOLIDO . MARMORE . VERONENSI
EXORNATIS
A . S. LEOPARDO
AD . SE . USQUE . DEDUCTAM

POMPEJUS . COMPAGNONIUS . MACERAT.
EPūS . AUXIM. ET . CINGUL. POS. MDCCLXIII .

IV. De templi dedicatione nunc acturo duo potissimum sese objiciunt diligentius examinanda: Alterum est, in cujus Sancti honorem fuerit dicatum, alterum, an, & a quo Romano Pontifice consecratum fuerit? Ac primum illud non exiguis implicitum est difficultatibus. Hæc de S. Leopardo ejus Acta: *Sed quia Romæ rexerat ecclesiam S. Agnetis, juxta Capitolium Auximanæ urbis in ipsius nomine, & Sanctorum Victoris, & Theclæ ecclesiam ordinarat*. Atqui S. Leopardum numquam *rexisse Romæ ecclesiam Sanctæ Agnetis* certum est, alius quum fuerit a Leopardo Presbytero, cujus liber Pontificalis meminit. S. Victor præterea multo serius Auximatibus innotuit. Theclæ tamen

men dicatum a Leopardo templum non omnino forsan abhorret a vero: licet enim prioribus Ecclesiæ sæculis, quæ exstruebantur sacræ ædes, eas vix Sanctorum honoribus dicatas credam, quarto tamen æræ Christianæ sæculo, quo Leopardus floruit, plura invenimus Sanctorum nomini inscriptas ecclesias. Epiphanius *h. 69.* ecclesiam commemorat *Dionysii* appellatam; Ambrosius *l.* 8. *ep. 60. basilicam* indicat, *quam condidit* (S. Bassianus Laudensis) *Apostolorum nomine;* Apostolorum basilicam excitavit Constantinus, Eusebio teste *lib. IV.*. Quanta autem S. Virginis celebritas in Occidente fuerit, norunt eruditi omnes, & comprobarunt Cardinalis Baronius, ac Dominicus Georgius, in notis ille ad Romanum, hic ad Adonianum Martyrologium, nuperrime autem Bollandiani in ejus Actis ad diem XXII. Septembris. Sufficiat in hanc rem *egregiæ Martyri Theclæ amplissimum templum splendore & pulcritudine eximium* a Zenone Imperatore sæculo V. Seleuciæ dedicatum, ut scribit Evagrius *lib. III. hist. cap. VIII.*. Quod si caussas ignoramus, cur id honoris sanctissimæ Protomartyri tributum a Leopardo fuerit, non inde fit, ut nullæ ipsi fuerint. Neque ideo dico, ut præfracte tueri velim, S. Theclæ a Leopardo dedicatum Auximatium templum, sed ut ostendam, nihil esse, cur id factum negemus.

V. Auctor porro historiæ inventionis S. Leopardi (si tamen alius est ab Actorum illorum scriptore), ut vidimus, Vitalianum, utique illum, qui octavo sæculo floruit, *in nomine & honore Sancti Leopardi* basilicam construxisse scribit. Ait quidem Pannellius *p.* 11. scriptori XIV. sæculi ea, quæ octavo sæculo adcidere, narranti fidem habendam non esse: verum neque id incredibile est, & auctor ille, quo sæculo vixit, rei hujusce monumentum ob oculos habuit, quod nunc intercidit. Adde quod supra monuimus, templum a Gentili amplificatum ejusmodi fuisse, quod octavi sæculi barbariem, & adflictas iis temporibus Italiæ res deceret maxime. Quare a Vitaliano illud tunc temporis fuisse constructum pronum est suspicari. Quid vero si Vitalianus templum ædificaturus S. Leopardi corpus invenisset? Quam facile tunc fuit de æde illa ejus nomini inscribenda cogitare! Enimvero quæ anno MCCXCVI. consignatur, sacri corporis inventio, *Reinventio* dicitur, ac licet multis, quæ Pannellius *p.* 8. eruditissime disputat, ostendi possit sequiore ævo *inventiones* fuisse etiam *Reinventiones* dictas, id tamen

nominis ad novam inventionem designandam per sese aptius est, quam ad primam significandam. Multum vero ad confirmandam hanc conjectationem meam facit argentea lamella, quam anno MCCXCVI. cum sacro corpore inventam scimus. Ejus antiquitas, si Pannellium audimus *p. 16.*, octavo saltem sæculo æqualis est: uno alterove sæculo ipse vetustiorem crediderim. Ut ut est, lamella illa medio octavo sæculo a Vitaliano, inventum S. Leopardi corpus iterum tumulante, collocari in arca potuit. Id multo verisimilius est, quam quod Pannellius *p. 17.* conjiciebat, Othonum temporibus, quibus sacra corpora, ne rapinis obnoxia essent, in abditissimis locis celabantur, Auximates quoque S. Leopardi corpus occultasse. Cæterum sequentibus sæculis multa occurrunt, quæ templum S. Leopardo dedicatum confirmant. Hinc anno MCCCXLVIII. illud apud Martorellium *p.* 38. legimus appellatum *ecclesiam S. Leopardi Episcopatus Auximi*. Nunc S. Theclæ titulum præfert; sed a quo tempore, dubitatur. Baldius quidem Cardinale Gallio auctore titulum templi a. MDXCIII. immutatum docet. Sed fallitur. Nam, ut ex Bernardini de Cuppis Synodalibus Constitutionibus a. MDLXVII. editis Pannellius monet *p. 60.*, jam tum S. Theclæ titulo princeps templum donatum erat. Id unum ergo constat, inter annum MCCCCLXXXI., quo Stephanus miracula quædam a S. Leopardo patrata narrans, aram templi principem vocat *altare majus S. Leopardi*, & annum MDLXVII., quo Bernardini de Cuppis Constitutiones typis expressas diximus, novum hunc titulum Auximati templo tributum fuisse.

VI. Age jam de consecratione dicamus. Zacchius in MS. exemplo, quod penes nobilem virum Franciscum de Dittajutis servatur, hæc habet: *Cathedralis ecclesia in Cassario, in editiori loco, posita est. Constructa est ex quadrato lapide candido. Dicata est Leopardo Pontifici & Confessori. Dicatorem habuit Leonem Papam IX. secundo Kal. Aprilis in annis Domini MXLIX.*. Aliud Zacchiani operis exemplum annum MXLIV. exhibet; aliud annum MIX., ac Leonem VIII.. Tertium appellat Canonicus Jacobus Maria Giudici in libro alias citato *Ragguaglio istorico &c.*, in eoque Leoni VIII. in *annis Domini* circa MLX. dedicatio adscribitur. Verum dubio procul prima illa lectio genuina est, a Zacchio profecta; reliquæ in Amanuensium erratis ponendæ sunt. Anno

no


no certe MXLIX. Leo IX. primum in Italiam venit. In monumentis quidem Canonici Flaminii Guarnerii legitur, Alexandrum III. templum illud consecrasse, Gentili Episcopo, qui Venetiis Pontifici adfuerat in celeberrima Friderici Imperatoris cum eodem Pontifice reconciliatione. Verum iter hoc Alexandri III. Auximum quum iis nitatur monumentis, quæ Pontificem Venetiis Anconam deducunt, ab eruditissimis viris exploditur. Nec præterea Gentilis videtur eo tempore principem ecclesiam, ad eam, quam animo conceperat, amplitudinem perduxisse; Ut quid ergo a Pontifice dedicationem templi postulasset? Neque Canonico Giudici adsentiri possum, qui quod in suo Zacchii exemplo, ut diximus, legisset annum circiter MLX., hunc adripuit, ac Nicolaum II. Auximatis templi consecratorem fuisse adfirmavit. Nam quum in omnibus MSS. Zacchiani operis exemplis Leo diserte legatur, atque ipsa in numeris cum Leonis, tum annorum describendis varietas Amanuensium indicet oscitantiam, non his definienda controversia est, sed Leonis Pontificatu, & MS. codice, in quo cum Leonis IX. Pontificatu annis adscriptis planissime convenit. Igitur unum hoc Leonis IX. dedicationi objici potest, sanctum Pontificem pridie Kalendas Apriles Auximi non fuisse; quo tamen die a Zacchio consecratum dicitur templum. Certe S. Leo idibus Februarii Romæ coronatus est; *in hebdomada* autem *post albas*, quæ a. MXLIX. secundo Aprilis die inchoabatur, *cum Episcopis Italiæ Romæ synodum celebravit*, ut ait Hermannus Contractus. Quare Auximatium templum consecrare non potuit, nisi hanc inter hebdomaden & Pentecostes celebritatem, dum Ticinum adiit, ubi & concilium sacris illis diebus habuit, eodem Hermanno teste. At illud heic animadvertendum, quod idem Giudici scite monuit, Auximatium templum, postquam duplo amplius a Gentili Episcopo redditum fuit, iterum vel a Gentili ipso, vel ab alio ejus successore consecratum verisimiliter fuisse, ut hujus consecrationis, non prioris illius memoria quotannis pridie Kalendas Apriles etiamnum recoli videatur. Hinc autem factum credo, ut Zacchius annuæ celebritatis rationem habens, & secundam consecrationem ignorans, primam, quam solam agnoscebat, in diem illum conjecerit, quamvis Leo IX. fortasse solum sub finem Aprilis, aut Maji initium templum dicarit.

VII. Quod tertio loco expediendum ſumpſi, de Canonicis erat. Duodecim nunc ſunt; eodem numero definiebantur ſæculo XV.. Zacchium teſtem habeo, qui ait: *ad ſolis occaſum poſt eccleſiæ caput eſt canonica duodecim Canonicorum diſtincta manſionibus*. Sed & ſæculo XIV. idem Canonicorum numerus erat: Martorellius enim *p.* 38. monumentum exhibet a. MCCCXLVIII. confectum, in quo *ecclesia Sancti Leopardi Epiſcopatus Auximi vacaſſe* dicitur *uno Canonicorum de numero duodeno*. Sed eo ſæculo XIV. inter Canonicos nullus erat qui PRIORIS munere fungeretur, uti ſub finem ſuperioris ſæculi XIII. functum novimus Stephanum, cujus in hiſtoria inventionis S. Leopardi mentionem habemus: *Dopnus Stephanus PRIOR Canonice Auximi*. Libet heic chartæ fragmentum recitare ex membranaceo epiſcopalis Archivi codice *p.* 86., in quo non ſolum Prior memoratur a. MCCLXXII., ſed & ritus, quo olim Canonici Auximates inſtituebantur, paucis deſcribitur. *Item Domnus Epiſcopus* (S.Benvenutus) *& Capitulum acceſſerunt in dictam eccleſiam cum domino Corrado prædicto* (D. Nicole Bene de Camerino Canonico S. Severini) *& Dominus Epiſcopus inveſtivit dictum D. Corradum de Canonicatu* (Auxim. eccl.) *per pannos altaris ſanctiſſimi Leopardi, & ſtallum in choro; & Prior & Capitulum aſſignaverunt eidem locum in menſa & capitulo, & cameram, quæ eſt in capite ſcalarum palacii canonice &c.*

VIII. Quæ de Auximatium principe templo diſputanda propoſui, expedita ſunt. In *Excurſibus* meis *litterariis per Italiam p.* 269. duos, quæ in inferiore ejus crypta (*Confeſſionem* appellant) ſpectantur, Sarcophagos commemoravi, atque adeo eorum typum exhibui. Tertium quoddam, in quo Paſtor bonus cum ovibus ſcite pro rudium temporum conditione effictus eſt, eodem loco indicavi, monens ectypon, quod ſperare me juſſerat humaniſſimus D. Franciſcus de Dittajutis jam laudatus, nondum ad me fuiſſe perlatum. Adcepi deinde. Quare ſacrarum Antiquitatum cultoribus non injucundum erit, illud heic cernere. Enimvero præter bonum Paſtorem, oveſque hac illac diſcurrentes, vas utrimque exhibetur, unde vitis prodit cum botris; quod Chriſti, atque Euchariſtici Sacrificii ſymbolum in veterum Chriſtianorum tumulis non ſemel a Boldettio, aliiſque eruditiſſimis viris obſervatum novimus, atque in S. Vitaliani ſepulcrali titulo inſculptum quoque eſt, quemadmodum ſuo loco dicturi ſumus, ut eo delectati maxime Auximates videantur.

§. II.

pag. 36.



§. II.

De veteribus quibusdam Auximatis sive urbis sive diœcesis monasteriis.

I. DE monasteriis, quæ in Auximate sive urbe sive diœcesi olim constituta in veteribus monumentis memorantur, pauca nunc dicam, non quod eorum historiam hisce tantum tabulis perscribi posse existimem, sed quod si ad alias, quæ in Archivis delitescunt, & hæ adcesserint, illorum historiam habituri simus absolutissimam. A monasterio S. Florentii exordior.

MCCLXIII. 24. Septembris, D. Benvenutus ABBAS.

MCCLXX. Idem Benvenutus ABBAS. Quæ hoc anno a S. Benvenuto Auximate Episcopo gesta sint in monasterii visitatione, descripta heic habes ex membranaceo codice episcopalis Archivi, quem *Protocollo* appellant, *pag.* 74.

In Dei nomine. Amen. Anno Domini a Nativitate ejusdem millesimo ducentesimo septuagesimo.

Hec sunt visitationes facte per Venerabilem Patrem dominum Benevenutum Episcopum Auximanum de monasteriis, ecclesiis, & clericis civitatis, & diocesis Auximane.

Die terciodecimo Januarii. Venerabilis Pater dominus Benevenutus Episcopus Auximanus intendens sollicite ad visitationes predictas, condescendens, & accedens ad monasterium ecclesie Sancti Florencii positum in burgo civitatis Auximi, inquisivit a dompno Benevenuto Abbate, dompno Thoma, dompno Leopardo, & dompno Johanne monachis dicti monasterii, si ipsi vivunt sine proprio, in castitate, & bobediencia, & que sunt facienda circa reformacionem, & melioracionem monasterii, Abbatis, & monachorum, & ibidem mansit die predicto de sero & nocte, & mane sequenti ad comedendum, & jacendum cum Canonicis, & sociis scutiferis, & equis, quos ducere voluit.

Die decimo quarto dompnus Benevenutus Abbas dicti monasterii interrogatus per dictum dominum Episcopum in virtute bobediencie dixit, quod porta claustri, que nunc est, claudatur, quia monachi non possunt stare reclusi in claustro propter viam, quam inde faciunt transeuntes indifferenter, & melius est pro mona-

monasterio, si claudatur. Item dixit, quod ipse Abbas, & monachi vivunt sine proprio, in castitate, & monachi in bobediencia degunt.

Dompnus Thomas monachus interrogatus per dictum dominum Episcopum in virtute bobediencie dixit, quod regula Sancti Benedicti non servatur in omnibus in dicto monasterio, & non legitur cotidie in mensa. Item dixit, quod monachi comedunt carnes quandoque, non tamen in mensa. Item dixit, quod dompnus Johannes, & dompnus Leopardus monachi ex concessione Abbatis habent intratas pro mensa, & appattinatica pro indumentis eorum. Item dixit, quod dicta porta claudatur, quia melius est pro monasterio.

Dompnus Leopardus monachus interrogatus per dictum dominum Episcopum in virtute bobediencie, dixit, quod statuta domini Episcopi servata sunt secundum posse Abbatis, & monachorum. Item dixit, quod dompnus Abbas deputavit sibi, & dompno Johanni intratas pro mensa, & appattinatica pro indumentis eorum, & ipsi assignant dictas intratas Abbati. Item dixit, quod non legitur in mensa cotidie, & comedunt carnes quandoque, non tamen in mensa. Item dixit, quod melius est pro monasterio, ut dicta porta claudatur.

Dompnus Johannes monachus interrogatus per dictum dominum Episcopum in virtute bobediencie dixit, quod ipse & dompnus Leopardus habent appattinatica pro indumentis eorum de Abbatis licentia. Item dixit, quod non legitur in mensa cotidie. Item dixit, quod statuta dñi ẽpi servantur. Item dixit, quod comedunt carnes quandoque, non tamen in mensa. Item dixit, quod regula S. Benedicti non servatur tota. Item dixit, quod non faciunt capitulum omni mane incusando se in capitulo. Item dixit, quod porta dicta claudatur, quia melius est pro monasterio.

Dominus Episcopus precepit dictis Abbati, & monachis, ut observent statuta eis tradita per ipsum dominum Episcopum, & quod inveniant, & teneant unum, aut duos capellanos, qui audiant Confessiones, dent penitentias, & baptizent, & prebeant ecclesiastica sacramenta, ita quod monachi non faciant predicta, & canonicas horas dicant alta voce, & quod mutent portam claustri, & tollant viam, que vadit per claustrum, presentibus domno Corrado Judice domini Episcopi, & domno Berardo Canonico Auximano. Actum Auximi in dicto Monasterio.

MCCLXXII.

MCCLXXII. 7. Novembris. *Cum Bartholucius clericus monasterii S. Florencii de Aux. pro ipso monasterio presentaret & offerret duos cereos cere, & quatuor bucellatos hodie in festo S. Leopardi coram dicto domino Episcopo, ipse dominus Episcopus respondit, quod ipse recipiebat in signum omnis & plene subjectionis, & devotionis, legis, & jurisdictionis Diocesani; & sicut Episcopus recipit, & recipere potest, & debet a monasteriis subditis suis. Actum Aux. in choro ante altare dicte ecclesie S. Leopardi pres. D. Guidone Archipresbytero Aux., D. Corrado Aux., dompno Moreco Capellano D. Pape, & aliis.* Ex eodem codice *pag.* 88. *tergo*.

MCCLXXIII. Hoc anno S. Benvenutus Auximatium Episcopus ad monasterium S. Florentii adcessit alterius visitationis caussa Kalendis Januarii, at a monachis male habitus sententiam contra eos tulit, quam deinde XVIII. Aprilis revocavit hoc edicto.

Nos Benvenutus &c. revocamus & cassamus omnes processus sive sententias latas per nos & Vicarios nostros D. Guidonem Archipresbyterum, & Bonum Johannis notarium contra dompnum B. (Benvenutum) *Abbatem, & monachos monast. S. Florencii, & ipsum monasterium, occasione excessuum & injuriarum factarum contra nos Episcopum, & socios & familiares nostros, cum nos Episcopus ad predictum monast. visitandi causa accessimus.*

MCCCLXII. 26. Novembris, Frater Lambertus ABBAS S. Florentii, & Rector ecclesiæ S. Andreæ, & S. Bartholomæi.

MCCCLXVII. Reverendus vir Frater Nicolaus Dei gratia ABBAS monasterii S. Florentii, in emphiteusis instrumento apud illustrissimum D. Johannem Florentium.

MCCCLXXVI. 3. Decembris. *Congregatum & adunatum capitulum ecclesie sive monasterii S. Florentii de burgo civitatis Auximi Ordinis Silvestrinorum Montisfani &c. de mandato & auctoritate Ven. viri D. Fr.* Francisci Patrimani de Sassoferrato PRIORIS *dicti monasterii*, docet charta in appellato codice descripta.

MCCCLXXVII. Monasterium fere collapsum, ac vetustate corruptum erat.

MCCCLXXVIII. Idem Patrimanius *Prioris* munere fungebatur, uti & anno

MCCCLXXX. Quo Auximi fuit Reverendus P. Johannes de

de Sax. Generalis prior ordinis S. Benedicti de Montefano.

MCCCLXXXVI. 25. Martii, Rev. vir D. Frater Lucas de Perusia PRIOR.

MCCCLXXXVIII. 18. Martii, Fr. Bartholomæus Johannis de Fabriano PRIOR.

MCCCXC. 13. Martii, Johannes Pauli de Rachaneto PRIOR.

MCCCXCI. 12. Martii, Fr. Marinus PRIOR.

MCCCXCIV. 17. Martii, idem PRIOR.

MCCCCXXVII. 26. Septembris, Rev. P. D. Frater Antonius Taddei de Eugubio ABBAS.

MCCCCXXVIII. 6. Julii, idem ABBAS.

MCCCCXXX. 21. Maji, idem ABBAS.

II. Monasterio S. Florentii subjicio monasterium S. Leopardi. Duo autem tantummodo hujus monasterii ABBATES mihi occurrerunt, alter Corradus Jacobi de Auximo annis MCCCXCII. 19. Augusti, & MCCCCIII. 28. Octobris, alter Nicolaus Antonius de Auximo a. MCCCCXI. 10. Maji.

III. Plura inveni ad monasterium S. Nicolai pertinentia: contuli autem illa cum iis, quæ nuper de hoc monasterio eruditissime disseruit Cl. Marcus Antonius Talleonius in libro inscripto: *Notizie intorno al Sangue miracoloso scaturito nel secolo XIV. da un Crocifisso dipinto nel muro nell' antica chiesa di San Niccolò d' Osimo*, Auximi 1762.

MCCXXXV. *intrante mense Madii*, Domnus Johannes ABBAS. Doleo autem, memoria excidisse mihi locum, ubi chartam ejus nomine inscriptam Auximi legeram.

MCCLXIII. Odo ABBAS, cujus mentio in membranaceo codice, quem antea appellavi *p. 98.*. Uterque a Talleonio prætermittitur.

MCCLXXI. Bonfilius ABBAS, ex eodem codice *p.* 84. tergo.

MCCLXXII. Idem Bonfilius. Vide infra *num. VII.*

MCCCXXVIII. 14. Maji, Andreas ABBAS.

MCCCLVII. Fr. Johannes ABBAS.

MCCCLXI. Idem Johannes ABBAS, ex Talleonio *p.* iij.

MCCCLXIII. Fr. Corradus ABBAS, ex eodem.

MCCCLXIV. 19. Augusti, idem ABBAS ex Auximate instrumento a me inspecto.

MCCCLXV. Idem ABBAS.

MCCCLXXVII. D. Fr. Corradus ABBAS: idem videtur qui supra memoratur.

MCCCLXXII.

MCCCLXXXIII. 7. Julii, idem ABBAS, ex citato codice; ubi hæc: *In Dei nomine, Amen. Nuper constructo & edificato hospitali sanctorum Marchi & Hieronimi de Auximo ex nostra auctoritate & deliberatione, de consilio, consensu, & voluntate nobilium & potentium virorum consalonerii, priorum, generalis conscilii, & hominum civitatis Auxim., & voluntate, beneplacito, & consensu Ven. viri Frat. Conradi Abbatis monas. S. Nicolai de Auximo.*

MCCCLXXXVIII. *Ven. vir Fr.* Conradus Jacobi de Auximo ABBAS *monasterii S. Nicolai de Auximo, sindicus & procurator honestarum dominarum* Mascutie Jacobi *Abbatisse, & monialium, capituli, & conventus monasterii Ss.* Marchi Evangeliste, & Margharite de Auximo *Ordinis S. Augustini*, memoratur in eodem codice. An idem sit qui *Conradus* hactenus dictus est, dubitat Talleonius. Id mihi certum est, eumdem hunc fuisse, quem supra vidimus Abbatem monasterii S. Leopardi.

MCCCXCIII. 13. Aprilis, idem ABBAS.

MCCCCIII. 25. Martii, idem Conradus. Hoc eodem anno ad monasterium S. Leopardi translatus est.

MCCCCXIV. 26. Januarii, Nicolaus Antonii Cicchi de Auximo ABBAS; hunc videbimus electum Auximatis ecclesiæ Episcopum.

MCCCCXXIII. Tanus ABBAS, ex Talleonio.

MCCCCXXVIII. 6. Julii, idem Tanus Peri de Alisandris de Insula Gualtrestorum comitatus Fani ABBAS.

MCCCCXLIII. Johannes Leo ABBAS, ex Talleonio.

MCCCCLVI. 29. Maij, Franciscus ABBAS ex sententia, quam in *palatio Arrenghi civitatis Esculi* contra eum tulit *Marinus de Ursinis miseratione divina Archiepiscopus Tarentinus in provincia Marchie Anconitane pro Sancta Romana Ecclesia, & Sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro Calisto divina providentia Papa III. Gubernator & Generalis Vicarius.* Hujus ad annum 1459. meminit Talleonius, ejusque sigillum profert *p. V.*

MCCCCLXVI. Jacobus de Roma ABBAS, ex Talleonio.

MCCCCLXXIX., idem Jacobus. Quare quum hoc anno Abbas commendatarius esset Marcus Barbus Cardinalis, Jacobus Abbas Regularis fuit; de quo Talleonius dubitabat.

IV. Quæ ad alia urbis monasteria spectant, pauca sunt: itaque omnia in unum congeram.

 MCCCLXXVIII.

MCCCLXXVIII. 18. Novembris. *Dudum vacante monasterio* S. MARCHI *Evangeliste Ordinis S. Augustini sito in burgo Cavatitii civitatis Auximi per obitum religiose D. sororis* TANTESANTE NALLUTII *de Matelica &c. Petrus &c. Episcopus Auximanus &c.* , *elegit Abbatissam* SYMONETAM ...... *de Auximo*. Hæc leguntur in appellato codice membranaceo.

MCCCXCI. 1. Novembris. *Domina soror* AGNESE *Abbatissa monasterii S.* AGNETIS *de Auximo*.

Domina soror MASSUTIA *Abbatissa monasterii* S. MARGHERITE *de Auximo*. Vide supra num. III. ad annum MCCCLXXXVIII.

Domina soror ANGELINA *Abbatissa monasterii S.* MICHAELIS *de Auximo*. Ex citato codice.

V. Habui etiam ad manus monumenta quædam monasteriorum, quæ in diœcesi exstabant.

MCCLXXXVII. 12. Junii. Constitutum hoc anno a Berardo Episcopo monasterium in Agulliano. Exstat hodieque testis charta, cujus heic fragmentum reddo. *Cum igitur religiose domine sorores Inluminata*, *Datadea*, *Maddalena*, *Phylippa*, *&c. commorantes apud ecclesiam Ss. Spiritus*, *Andree & Bartholomei sitam in Auxim. dioce si in fundo Agulliano*, *desideraverint inibi permanere sub regula S. Augustini Deo famulantes*; *idcirco Ven. P. D. Berardus Dei gratia Episcopus Auximanus earum humilibus & justis precibus annuendo fecit*, *constituit*, *& ordinavit dictam ecclesiam Ss. Spiritus*, *Andree & Bartholomei monasterium religiosarum mulierum degentium sub regula S. Augustini*.

MCCCLXXIII. 2. Februarii. *Ven. vir* D. Franciscus de Caponago de Florentia PRIOR *Canonicorum Regularium Sanctorum quatuor Coronatorum de Cingulo*. De hoc monasterio consule Cl. Raphaellium libro non semel laudato *pag.* 107. *seq.*, & *pag.* 215.

MCCCLXXXI. 5. Augusti. Petrus Auximatium Episcopus *monasterium Dominarum* S. Bartholomei de Agulliano *Auxim. diocesis*, *positum in burgo S. Laurentii terre* Cinguli, monasterio S. Matthæi Apostoli conjungit.

MCCCCXIX. 30. Septembris. *Petrus de Fano Episcopus Abbatissam elegit monasterii* S. Sperandee *siti in terra Cinguli*

extra

extra & prope muros dicte terre Cinguli Auximane diocesis per obitum religiose domine sororis ANGELINE PASQUALIS.

VI. Plura sunt, quæ ad monasterium S. Victoris pertinent, eaque fere ex laudato codice membranaceo, uti cetera, depromta a me fuerunt.

MCCXXI. 13. Aprilis. Donnus Bonus ABBAS monasterii S. Victoris, *quod est edificatum in fundo Silva longa juxta fluvium Mosionem comitatus Auximi.*

MCCXXV. 13. intran. mens. April., idem ABBAS.

MCCXXVIII. 8. Octobris. Domnus Placitus ABBAS.

MCCLXV. 24. Augusti. *Dompnus Symon Abbas olim monasterii ecclesie S. Victoris de Arzono, & nunc monachus monasterii S. Nicolai de Auximo, juratus dicere veritatem coram domino Conrado Canonico S. Severini Judice Ven. P. Domini Benevenuti Episcopi Auximani, dixit suo sacramento, quod dictum monasterium S. Victoris tempore, quo ipse dompnus Symon fuit Abbas dicti monasterii, erat sub visitatione & correctione Episcopatus Auximani, & Episcopi ejusdem Episcopatus. Interrogatus quomodo scit, dixit, quod D. Senebaldus olim Episcopus Auximi fecit venire ad Episcopatum Auximi dompnum Auximanum, & alios monachos S. Victoris, & fecit eligi ipsum dompnum Symonem in Abbatem dicti S. Victoris, & ipsum electum confirmavit, & ipse dompnus Symon tunc Abbas juravit & fecit fidelitatem dicto domino Senebaldo Episcopo, & subsequenter reafirmavit fidelitatem domino Raynaldo Episcopo Auximano, & D. Senebaldus Episcopus dictus visitabat & corrigebat ipsum, & dictum monasterium bis in anno quolibet, & quandocumque placuerit, & ipse tunc Abbas procurabat eum & socios .... & dominus Episcopus Raynaldus non ivit ad dictam visitationem, quod pauco tempore moratus fuit in Episcopatu, & audivit publice dici, & publica fama erat ibi, quod dompnus Bonus, & dompnus Placidus olim Abbates dicti S. Victoris predecessores sui juraverunt fidelitatem Episcopo Auximano, & fuerunt sub ejus preceptis, visitatione, & correctione, & audivit dici a dicto dompno Placido, quod ipse dompnus Placidus renunciavit Abbaciam in manibus dicti domni Episcopi Senebaldi, & ipse domnus Senebaldus fecit postea mitti in Abbatem ipsum dompnum Symonem. Item dixit, quod dum ipse dompnus Symon fuit Abbas dicti monasterii, ipse respondebat Episcopo Auximano de omnibus juribus Episcopalibus.*

libus. Quod testimonium fuit receptum, quia dictus dompnus Symon erat senex & in infirmitate positus, & de morte ejus timebatur. Actum Auximi in infirmaria monasterii S. Nicolai, presentibus dompno Dominico, dompno Phylippo, dompno Conrado, fratre Petro, fratre Deoteadiute monacis sancti Nicolai, Guillelmo domini Phylippi Jacobi Judicis, Stephano Guastaligni, Martino Oddonis, & Thoma Hugonis Actonis Guzzonis.

MCCLXXII. XIV. Decembris. *D. Guido Archipresbyter doctor decretorum, executor constitutus a D. Thoma Preposito Fanensi Vicario D. Guillelmi de S. Laurencio Prepositi S. Antonini, Capellani D. Papæ, Vicarii super spiritualibus in Marchia, Massa Trabaria & civitate .... misit & induxit dictum D. Episcopum* (Benvenutum) *pro ecclesia Auximana in tenutam & corporalem possessionem monast. S. Victoris de Arzono &c.*

MCCLXXIII. *6.* Aprilis, Molliosaxius ABBAS.

MCCLXXXVII., Apostolica sede vacante, *6.* Junii, domnus Rogerius ABBAS.

MCCCLXXX. 20. Augusti, Bonfilius Vannutii ABBAS.

MCCCLXXXIV. 20. Februarii, idem Bonfilius ABBAS.

VII. Alterius quoque monasterii, quod ad Auximatem diœcesim minime pertinet, mentio fit in laudato codice *p.* 85. *tergo* his verbis.

MCCLXXII. die 25. *Januarii quinta decima indictione.*

Dompnus B. Episcopus Auximanus contradixit dompno Accurinbono Abbati monasterii S. Johannis de Antignano Esine diocesis, ut possessiones aliquas alicujus eccles. Auxim. dioc. non audeat alienare nec vendere, & alienationes factas, & faciendas per eum cassavit, annullavit, & irritavit. Actum in villa riparum in ecclesia S. Marie nove, presente D. Uguccione Episcopo Esino, domino Raynaldo Cime, domino Conrado Judice, domino Episcopo Auximano, dompno Bonfilio Abbate Monasterii S. Nicolai, & aliis.

Qui in hoc monumento *Huguccio* dicitur Æsinorum Epūs, is est, quem Ughellius *Tom. I. col.* 282. *Hugonem* appellat. Ceterum, *Huguutio* (quod nomen *Huguccionis* vocabulo proximius est) scribitur in altero monumento, quod exstat *Annalium Camaldulens. Tom. V. in Appendice col.* 267.

AUXI-



AUXIMATIUM EPISCOPORUM

SERIES

A Ferdinando Ughellio primum contexta, deinde a Nicolao Coletio aliquantulum aucta, nuperrime a Cl. V. Fausto Antonio Maronio ex Cler. Reg. Scholarum Piarum emendata, & continuata, nunc denique a Francisco Antonio Zacharia Soc. Jesu plenius restituta, pluribusque nondum editis documentis illustrata.

I. *ANCTUS LEOPARDUS natione Germanus (1), sanctoque Martino coævus (2), ut sancta Romana loca pie inviseret, aviditateque martyrii patria digressus est, cumque Romam venisset, ibique Innocentio I. Pontifici ejusdem ardor fidei innotuisset, ab eodem aliquot Romanas ecclesias jussus est moderari (3), declaratusque deinde Auximi Episcopus, ibi cum Evangelii semen sparsisset, brevi totam civitatem post cultum idolorum plane deviam (4) ad fidem Christi perduxit, idolorum fanis eversis, Deiparæque Vir-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) In actis S. LEOPARDI dicitur Sanctus *Theotonicus* fuisse origine; sed quis divinet, unde hæc hausta sint? Fortasse imperitum scriptorem ipsum LEOPARDI nomen fefellit, quod immanitatem nescio quam præseferat. Verum Romanis, atque adeo Christianis ipsis non inusitatum hoc nomen veteres lapides ostendunt, ut recte a Pannellio observatum *p.* 50.

(2) Id quoque ex actis illis derivavit Ughellius; sed nos Diss. I. ostendimus, ad Constantini tempora LEOPARDUM spectare, ut S. Martino æqualis esse minime potuerit.

(3) Diss. I. monuimus, alium nostrum esse LEOPARDUM a LEOPARDO, qui Romæ Innocentio I. Pontifice floruit.

(4) Hoc quoque falsum est. Confer quæ citata Dissertatione de fidei Christianæ apud Auximates primordiis disseruimus.

ctitatis decessit ; in cathedrali prope sacrarium tumulo exceptus est. III. FOR-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

pellat, Ughellius distinguit, alterum qui LEOPARDO continenter successerit, alterum octavo sæculo. Martorellio quoque duo sunt VITALIANI Auximates Episcopi: sed quem *secundum* Ughellius habet, is Martorellio *primus* est: *secundum* Martorellius *primi* successorem designat. Ego etiam dum de inscriptione in S. VITALIANI tumulo inventa ad doctissimum Episcopum Compagnonium anno 1755. litteras darem, duorum VITALIANORUM discrimen aliquo fundamento niti sumens, titulum illum ad quartum quintumve sæculum spectare, quæque ejus discriminis monumenta extare animo præconceperam, eo juvari plurimum posse contendebam. At dum ad hanc ipsam seriem concinnandam manus admovi, & Auximates tabulas diligentius consideravi, in Pannellii sententiam libens abii, quæ unum tantummodo VITALIANUM octavo sæculo Auximatium Episcopum, sanctumque agnoscit. Video autem refellendum heic mihi esse P. Maronium, qui ingeniosissimis conjecturis Ughellii sententiam persuadere conatus est. Faciam autem breviter, ut instituti mei ratio, ac modeste, ut adversarii eruditio postulat.

Igitur illud unum peto, ut ex ecclesiæ Auximatis traditione quæstio hæc dirimatur. Nihil sane æquius, in ea præsertim controversia, quæ ad Auximatem ecclesiam spectat, neque adscititiis aut dirimi aut illustrari monumentis potest. Age nunc quid Auximates tabulæ hac de re habeant, accurate perpendamus. Zacchius XV. sæculo Episcopus, qui decessorum suorum Catalogum texuit, primus est, qui audiatur. P. Maronius quod nullo Zacchii exemplo usus fortasse sit, ac quæ de Zacchii mente Pannellius in S. LEOPARDI monumentis indicat, festinanter legerit, illud sumit *p.* 11. *seq.*, a Zacchio duos VITALIANOS distingui. At vir doctus aliter de Zacchio sensisset, si quod nactus esset Catalogi ab eo contexti manuscriptum exemplar. Unum enim is VITALIANUM manifesto agnoscit, qui sæculo VIII. floruerit. En Zacchii verba ex apographo Hieronymi Ditajuti Canonici. *Vitalianus secundus post eum* (S. LEOPARDUM, cujus gesta brevi sermone complexus fuerat) *fuit almus & ipse Confessor .... & sedit in Auximana cathedra per annos XXXIII. menses VIII. dies VI. tempore Adriani Pontificis urbis Romæ. Hic perimit memoriam reliquorum Episcoporum, qui hucusque rexerunt &c.*. Tum ad Gislerium transit. Palam est, Zacchium dum ait: *secundus post eum*, non in ea fuisse sententia, ut LEOPARDO VITALIANUM continenter suffectum crederet; quei enim si ita sensisset, illud adtulisset in medium: *hic perimit memoriam reliquorum Episcoporum, qui hucusque rexerunt*, aut Vitalianum cum Hadriani Pontificatu junxisset? Et illud manifestum est, si alter VITALIANUS notus Zacchio fuisset, ab eo non fuisse illum in suo Catalogo omittendum. Quare dum ait *secundum post eum* fuisse VITALIANUM, id unum Zacchius indicare potuit, VITALIANUM post LEOPARDUM fuisse secundum, qui vitæ sanctimonia illustris fuerit. Quo autem tempore VITALIANUS iste floruerit, clarius designare Zacchius non poterat, quam adscripto Hadriani tempore, quod ad sæculum VIII. pertinet. Zacchius igitur ex eorum numero delendus est, qui in duobus VITALIANIS constituendis Ughellio, & Martorellio præiverint.

Eodem, quo Zacchius, sæculo XV., sed quinque saltem post ejus obitum annis historiam scripsit miraculorum, & inventionis S. LEOPARDI Stephanus Canonicus: hæc autem ille in rem præsentem habet: *successit ei* (S. LEOPARDO) *sanctus* VITALIANUS, *qui prædictam ecclesiam ampliavit, & in titulum sancti Leopardi transtulit*. Quod Zacchius scripserat: *secundus post eum*, bonus

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

bonus hic *Francigena*, ut ipſemet ſe vocat (*de partibus* enim *Francie* venerat); de continenti ſucceſſione intellexit, inſigni utique errore. Sed quod ad inſtitutum meum maxime facit, ait ille: *hec habentur in legenda*, actis ſcilicet S. LEOPARDI ſuperiore ſæculo XIV. conſcriptis. Ipſa ergo acta conferamus. Quid illa? *Temporibus autem Bonifatii Papæ VIII. quidam Johannes Auximanorum præclarus Epiſcopus .... baſilicam, quam ſanctus VITALIANUS in nomine & honore S. LEOPARDI conſtruxit, propter ipſius brevitatem ſtuduit ampliare*. Ubi heic legendæ auctor ait, S. VITALIANUM LEOPARDO ſucceſſiſſe? Eſt ne verbulum, quo id indicetur? At Maronius animadvertendum Pannellio proponit *p.* 13., *videri non multum probabilitatis habere*, *unius ſolum ſæculi ſpatio verum eorum actorum ſenſum ita ab hominum etiam eruditorum animis excidiſſe*, *ut contra auctoris mentem* VITALIANUM *ſæculi IV. pro* VITALIANO *ſæculi VIII. intelligendum eſſe cenſuerint*. Egregie. Et Zacchius quidem Epiſcopus, qui acta illa conſuluit, ad auctoris mentem de VITALIANO ſæculi VIII., quemadmodum vidimus, intellexit. At Stephanus certe perperam illa adcepit, nec Stephano homini Gallo, ut ut muneribus ſpectato, magis fidendum, quam Zacchio Epiſcopo, qui omnia diligentiſſime fuerat perſcrutatus. Neque mirandum eſt, hallucinatum in VITALIANI ætate deſignanda fuiſſe Stephanum, qui eumdem actorum ſcriptorem in re apertiſſima depravavit. Nam quod acta Johannem perhibent, baſilicam in honorem S. LEOPARDI a VITALIANO conſtructam *propter ipſius brevitatem ſtuduiſſe ampliare*, id bonus Francigena ad ipſum VITALIANUM falſo & ridicule traduxit. Quamquam quod ad VITALIANI ætatem pertinet, explicari fortaſſe Stephanus hoc ſenſu poſſet, non quod VITALIANUS *proxime* S. LEOPARDO ſucceſſerit, ſed poſt aliquot ſæculorum intervallum.

Hæc ea ſunt, quæ ad hanc quæſtionem Auximates tabulæ adferunt. Stephanum mittimus, cujus errorem demonſtravimus. Acta ſuperſunt, & Zacchius. Hic unum VITALIANUM aperte adſerit: quodque animadvertendum maxime eſt, eo loco, ubi, quum VITALIANI annos, menſes, dies præter morem diligentiſſime adnotet, vetus aliquod hujuſce rei monumentum fuiſſe illi in manibus verſatum ſumere non injuria poſſumus. Illa nihil definiunt; id tamen ajunt, quod proximam ſucceſſionem evertat; neque enim credibile eſt, aut ſtatim a S. LEOPARDI obitu principis templi titulum fuiſſe immutatum, ut S. LEOPARDO dedicaretur, aut humilem & anguſtam ſub quarti ſæculi finem in præſtantiſſima urbe baſilicam, qualem ſcilicet Johannes, aut potius, quod arbitror, Gentilis Epiſcopus reperit, conſtructam a VITALIANO fuiſſe. Igitur quincto decimo & ſuperiore ſæculo Auximates unum VITALIANUM agnoſcebant. Quare ſi hæc Auximatium illorum perſuaſio traditionis nomine donanda eſt, non duos, ſed unum VITALIANUM & nos adſeremus. Primus ab hac traditione Ughellius diſceſſit vel a Stephano, ut Pannellius *p.* 36. ſuſpicatur, deceptus, vel, uti ego libentius conjicerem, a verbis illis Zacchii *ſecundus poſt eum* perperam intellectis.

Verum Maronius ait *p.* 13., *fieri debuiſſe, ut Sancto LEOPARDO defuncto, aliquis ex ejuſdem diſcipulis ſanctimoniæ laude & religionis ſtudio præclarior, ſeveriorem illam priorum ſæculorum diſciplinam edoctus, eadem in ſede ſufficeretur, qui ejuſdem veſtigiis inſiſtens, quæ ab eo inſtituta ſanctiſſime fuerant, confirmaret*. Demus hoc viro eruditiſſimo, ſuffectuſque LEOPARDO ſit vir longe ſanctiſſimus: id quidem ad divinæ providentiæ leges pertinere quodammodo videtur: numquid vero & hujus præclariſſimi Antiſtitis ſervari apud Auximates non interrupto ſæculorum omnium ſpatio memoria debuit? Hoc præcipue demonſtrandum

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

dum Maronio fuisset, ut quidquam pro Ughelliana sententia efficeret. At illud animadvertat, velim, Cl. Maronius, plerasque ecclesias prioribus sæculis a sanctissimis Episcopis fuisse administratas; id enim Catholicæ fidei propagatio maxime postulabat, ut qui Christianorum cœtibus præerant, sanctitatis gloria ceteris omnibus antecellerent: quid tamen? Pleræque ecclesiæ Præsulum suorum, qui antiquissimis temporibus vixere, ne nomina quidem noverunt. Cur nobis ergo fingamus, cum Auximate ecclesia adeo liberalius actum, ut non solum LEOPARDI successorem sanctissimum habuerit, sed illius quoque notitiam nunquam oblitterarit? Quod si Maronius VITALIANUM LEOPARDO suffici ob temporum illorum rationes debuisse contendit, quidni dicamus, adflictam cum bellorum incursibus, tum hæreticorum, atque Iconoclastarum cumprimis perfidia, morumque corruptione octavo sæculo Christianam Rempublicam, ut sancti, quorum exemplis, studiisque restitueretur, ecclesiis darentur Episcopi, postulasse?

Addit Maronius, in *Auximana ecclesia pari fere honore habitos LEOPARDUM & VITALIANUM*; tum quærit p. 14., an *probabile reputari possit, VITALIANUM hunc tanti habitum ab Auximana Republica eum esse, de quo certum id unum est, sæculo VIII. Auximanæ ecclesiæ præfuisse, gestis ad unum omnibus oblivioni mandatis?* At quid, si quis ex Maronio sciscitetur, probabilene videatur, *VITALIANUM hunc tanti habitum ab Auximana Republica eum esse, de quo certum ne id quidem est, an & quo sæculo vixerit?* Quæ gesta VITALIANI primi posteritati commendata sunt, ut eum ab Auximatibus cultum dicamus? Nulla plane: ergo ne is quidem VITALIANUS erit tanti ab Auximatibus æstimatus. Tertiumne quempiam confingemus? Sanctitatis fama ea fuit, quæ tantum apud Auximates cultum VITALIANO conciliavit. Atque illa quidem in tanta præteritorum monumentorum oblivione atque jactura facilius ad nos usque perennasse potuit, si VITALIANUS octavo sæculo vixit, quam si ad quartum illum referimus. Fortasse etiam habitus is est collapsæ disciplinæ, fideique miserrimum in modum vexatæ instaurator, atque adeo dignus, qui LEOPARDO exæquaretur.

Sed ad has Maronii conjecturas elevandas VITALIANI inscriptio nuper in ejus tumulo inventa adcedat. Nimirum VITALIANUS, quem Auximates maximis honoribus prosequuntur, ille procul dubio est, cujus epigraphe reperta est. Ea vero octavum potius quam quartum sæculum indicat. Sed de hoc iterum infra.

Ceterum quod Maronius suspicatur, VITALIANUM Auximatem eum ipsum fuisse, qui ad Auxentii caussam audiendam exponendamque fidem cum Damaso Papa, aliisque nonaginta tribus Episcopis in urbe Roma convenit anno CCCLXXI., aut quod Courantio placet, insequenti; ingeniose excogitatum fateor, sed minus verisimiliter. Nam si quid video, non apud Picentes, sed apud Venetos, Insubres, & Gallos quærendæ sunt potissimum eorum Episcoporum sedes. Certe quum in synodica ejus Concilii epistola Romani Patres narrent, se *relatione Gallorum & Venetorum Fratrum quosdam hæresibus favere cognovisse*, ad Synodum, in qua de hac caussa cognoscendum diligentius erat, Gallos, Venetosque præsertim vocandos fuisse nemo non videt. Nec Valerianus Aquilejensis, qui convocandi Concilii caussa Damaso fuit, & primus post hunc in epistolæ inscriptione nominatur, sine magno Antistitum suæ provinciæ numero ad Urbem adcesserit. Mediolanensis præterea sedis, quam Auxentius invaserat, negocium agebatur; quare qui ad Orientales synodicam illam perferret, electus est *Sabinus Diaconus Mediolanensis Legatus*. Ex Insubria ergo plures Romam Synodi caussa convenisse verosimillimum est.

III. *FORTUNATUS tertio loco* (1) *nobis occurrit e Concil. Rom. habito a Martino I. in causa Monothelitarum anno* 649.. LUCENTIUS.

IV. *JO-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) GELASIUS *Papa litem dirimendam inter Episcopum Anconitanum , & Constantinum Anuscanæ ecclesiæ committit Maximo , & Eusebio Episcopis definiendam ad favorem Constantini , Gratian. 2. p. decret. causa 16. q. 3. c. 3.. Quæ vero fuerit Anuscana civitas ignotum . Una siquidem Nuscana , sive Anuscana in Arpinis longe distans ab Ancona reperitur hoc Constantino tunc temporis vacua . Veriti sumus Anuscanam pro Auximana interpretandam , cum Glossa dicat hujusmodi Episcopatus conterminos , sed in Auximanis nulla exstat Constantini mentio , neque nos in re dubia aliquid pro certo affirmare audemus .* Hæc Lucentius in Anconitanis Episcopis *T. 1. Ughelliani operis a Coletio recusi col.* 331.. P. Maronius hoc GELASII decretum non ad Gelasium II., quemadmodum Lucentius, sed ad primum ejus nominis Pontificem spectare contendit, tum Lucentio audacior factus , quod ille adserere veritus fuerat, adfirmate pronunciat *p. 16.*: *Non video cujus urbis Episcopus Constantinus ille esse potuerit probabilius , quam Auximanæ, suspicorque scriptum male fuisse* Sacerdotem ecclesiæ Anuscanæ , *cum* Auximanæ *scribi debuisset . Animadverto enim hanc unam esse , quæ a voce* Anuscana *non sit remotissima , & communia habeat cum ecclesia Anconitana confinia .* De decreto non disputo , Gelasione I. adscribendum sit , an II.; Lucentii tamen scrupulis malo , quam P. Maronii sententiæ adsentiri , ac si mendosus hic locus restitui conjecturis potest , de Anconitanæ contermina Humanate cogitarem potius, quam de Auximana . Facile intelligimus ab antiquorum charecterum imperito Amanuensi litteram M perperam pro SC accipi potuisse ; Humana autem quam dicimus, *Numana* olim ; immo *Quodvultdeus Episcopus ecclesiæ* NUMANÆ Vigilii Constituto subscripsit: hinc primo *Nuscana* pro *Numana* irrepsit ; alius deinde librarius de suo addiderit A , quemadmodum alios certum est ineptissime litteras C & T huic nomini præposuisse , unde pro *Anuscana* in variis codicibus legimus monstra illa *Canuscana* , *Camusiana* , & *Tamiscana* . Fieri etiam potuit , ut quum librarius extrema nominis CONSTANTINUM syllaba deceptus ANÆ solum scripsisset , prætermissas litteras margini inscripserit hoc vel simili pacto *num* , quas qui primum illud exemplum descripsit , quo spectarent non intelligens , ipsamque correctoriam notam A interpretatus, litteris illis præposuerit , unde primum *Anunanæ* ; hoc autem alius magis etiam deformarit *Anuscanæ* nomine adscripto. Qui in veteribus codicibus paullulum versati sunt, norunt quot similibus de caussis errores in illos irrepserint , ubi præsertim nomina urbium , populorumque occurrunt . Quis crederet (ut ex uno MS. codice Veronensis Capituli exemplum aliquod proferam) fieri potuisse , ut quem Hilarius vocat *Prætextatum de Barcinone Spaniæ* , scriberetur *Pretextatus de Narcidono Pann* ? Scriptus tamen est in codice , unde Ballerinii T. III. *Operum S. Leonis* veterem Interpretationem latinam Canonum Nicænorum , Sardicensium , & Calchedonensium ediderunt . Ibi etiam legere est *Sunosio Apuliæ* pro *Canusio Apuliæ* , *Gyparensis* pro *Cyparissiensis* , de *Calciso* pro de *Chalcide &c.*; quorum errorum si caussas quæras , earum , quas ego in rem nostram adtuli , similes excogites necesse est . Quare non Constantinum tribuerem ego Auximatibus , sed potius aut Eusebium , aut Maximum , quibus Episcopis inscripta est Gelasiana epistola ; hujusmodi enim lites vicinis Episcopis dirimendæ tradebantur, ac fortasse ex illis alter Fanensis , Auximas alter. Verum pulcra fortassis somnia hæc sunt , quæ indicasse sit satis.

FOR-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

FORTUNATO JULIANUS ille *Cingulanæ ecclesiæ* episcopus, quem Auximati quoque ecclesiæ præfuisse Diss. III. conjeceram, potius anteponendus erit. Nam ab anno DLIII., quo & ipse Vigiliano Constituto subscripsit, ad annum saltem DLIX., quo anno III. Kal. Augusti data est ad JULIANUM Pelagii epistola, de qua citato loco, JULIANUS floruit.

Exstant inter S. Gregorii Magni epistolas lib. IX. Maurinæ editionis epistolæ duæ a. DXCIX. datæ, ut docet Indictio secunda, altera, quæ LXXXIX. est, ad Severum Anconitanum Episcopum, altera, quæ XC. est, ad Æsinenses (quod titulus præfefert) inscripta. Utramque heic recito.

Epistola LXXXIX.

Gregorius Severo Episcopo Anconitano.

Postquam civitas Ausina, Deo juvante, recuperata est, atque a Republica teneri dignoscitur, magna de ecclesia ipsa sollicitudo habenda est, maxime quia gloriosus filius noster Bahan magister militum a nobis pro hac re auxilium sperasse dignoscitur; atque ideo ad fraternitatem tuam præsentia curavimus scripta dirigere, ut eidem ecclesiæ ex more Visitator accedas. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire, & remoto strepitu, uno eodemque consensu talem vobis præficiendum expetere Sacerdotem, qui & a venerandis canonibus nulla discrepet ratione, & tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & Visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: provisuri ante omnia, ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solum ille ad Episcopatus apicem nulla ratione provehetur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite. Sed omnes, quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio, & a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

Epistola XC.


Ad Æsinenses.

Gregorius clero, ordini, & plebi Ausinæ civitatis.

Cognoscentes ecclesiam vestram diu pastorali sollicitudine destitutam, postquam civitatem vestram recuperatam, & in jure Reipublicæ, auxiliante Domino, cognovimus restitutam, curæ nobis fuit ecclesiæ vestræ visitationem fratri & Coepiscopo nostro Severo Anconitanæ civitatis Episcopo solemniter delegare. Cui etiam dedimus in mandatis &c. ut supra.

Lucentius in additionibus ad Æsinates Ughellii Episcopos, ac Thomas Baldassinius in libro, quem edidit prænotatum: *Notizie Istoriche della città di Jesi*, hasce Gregorii epistolas ad Æsinensem ecclesiam pertinere adfirmant. Maurinis tamen id minime certum exploratumque visum fuit; quare in adnotationibus ad epistolam LXXXIX. ajunt: *Legendum videtur Æsina vel* Auxima; Æsis *vulgo* Jesi, & Auximum *vulgo* Osimo *in Piceno nunc Marchia Anconitana positæ sunt. Ancona æquali fere spatio distant, nempe Auximum* 12. *m. ad occasum, Æsis vero* 15. *m. ad meridiem. Utraque adhuc Episcopalis, & Romano Pontifici immediate subdita*. Philippus Vecchiettius vir doctus, Sociusque Auximatis Ecclesiasticæ, ut ajunt, *Academiæ*, Maurinorum conjecturam adripuit, atque in Dissertatione typis nondum excusa, ut monuit me ipse per litteras anno superiore MDCCLXIII. XVI. Kal. Januarii perscriptas, Auximati ecclesiæ epistolas illas strenue vindicavit. Quibus id ille argumentum effecerit, ignoro. Hoc adfero, Vecchiettii sententiam esse mihi longe verosimillimam. Certe Gregorius de Auximo sollicitior quam de Æsio

✝HIC
REQVI
ESCIT
IN PA
CE
VITA
LIA
NVS
SERVVS
XPI·EPC



VI. *GERMANUS anno* 826. *in Concilio Romano sub Eugenio II. apud Baronium* (1).

VII. *ANDREAS reperitur Concilio Romano interfuisse, a Leone IV. congregato, ut lapsis Ecclesiasticis moribus opportuna medicina adhiberetur, anno* 853., *ut Anastasius Bibliothecarius narrat.*

VIII. *PE-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

no Usuardi codice apud Sollerium Beneventanus hoc die VITALIANUS colitur, Capuanus in aliis Martyrologiis, & Romano præsertim. Hinc Ferrarius Auximatem nostrum eumdem habuit, qui Capuanis præfuit; sed fortassis fieri etiam potuit, ut Auximates quum eo die VITALIANUM quempiam celebrari adcepissent, nec quo die ipsorum VITALIANUS obiisset, compertum haberent, hujus memoriam ipso illo die XVI. Julii recolendam sibi esse decreverint. Præter hunc diem Auximi sacer VITALIANO est dies quoque Junii XVI., quo corpus ejus inventum ab Antonio Sinibaldio Episcopo a. MDXIII.. Baldius antiquiorem sacri corporis inventionem commemorat a. MCCCXC. ab Episcopo JOHANNE Grimaldeschio curatam, sed aut in Pontificis nomine, aut in anno designando hallucinatus est, quum Grimaldeschius anno solum MCCCC. Auximatis sedis potitus fuerit. Ut ut est, tertium anno MDCCLV. inventum est ab Illustrissimo Præsule Compagnonio; tum quoque hæc epigraphe detecta est, cujus ectypon heic damus. De eo autem lapide hoc ad rem nostram animadvertendum est, quamvis vitis symbolum, nomen illud *Servus Christi*, characterum, quibus inscriptio expressa est, forma, ceteraque singulatim considerata a primis Ecclesiæ sæculis haud fortassis abhorreant, esse tamen omnia ejusmodi, ut recentius ævum, sæculumque octavum inscriptio præseferat.

(1) GERMANO LEO suffectus est, quod Ughellius, Coletius, & Maronius ignorarunt. In celeberrima Bavarici Ducis bibliotheca codex ex Italia a Germano quodam, qui, ut ferunt, Clementi VII. a secretis fuisset, illuc delatus e tenebris paucos ante annos emersit, quem etiam doctissimus Canonicus Josephus Garampius mira diligentia nuper descripsit. Exstat autem in eo *p.* 36. *peticio quā petivit Leo Epō scē Auximane ecclē a Georgio Archiepō de Massa q. vōc ātnana in iñ cum casalib & apendicib. suis tēr Ausimano intrā fines a singulis laterib. fund. Roborata & fund. Tussiano & fund. Calciniano & fund. Tenda Bonelli iuri scē Rav. ecclē sub peñ solidos viginti p. unoquoq. sol. deñ treginta & sex* (alio charactere, sed æquali temporum additur, *de Roma*). Atque hanc quidem LEONIS heic memorati notitiam non tam mihi lectores debebunt, quam Cl. Josepho Aloysio Amadesio, qui de illo me per litteras certiorem fecit, ac descriptum monumentum mecum humanissime communicavit. Porro quum *Georgius* nonnisi a. DCCCXXXIV. post sextum Iduum Martiarum diem, quo *Petronax* ejus decessor obiit, Ravennatem sedem indeptus sit, & ante diem quartum & decimum Kalendarum Februariarum anni DCCCXLVII. e vita migrarit, ut in manuscripta Ravennatium Antistitum Chronologia, quam magno Ecclesiasticæ historiæ commodo edendam brevi speramus, certissimis tabulis idem Amadesius confirmat; exploratum esse debet GERMANO non ANDREAM, sed LEONEM successorem fuisse. Ceterum de Massa Aternana plura occurrent ubi de GENTILI episcopo agemus.

VIII. *PETRUS subscribit donationi factæ monasterio S. Crucis a Theodosio Episc. Firmano, an.* 887. (1).

IX. *ATTINGUS, seu* Adstingus *adfuit Concilio Raven. an.* 967. (LUCENT.)

X. *LEONARDUS, testis in sententia data ad favorem ecclesiæ S. Floræ Aretinæ, anno I. Othonis III., qui fuit salutis* 983. (1). *Extat in Archivo Abbatiæ S. Floræ.*

XI. *GIS-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Hanc donationem, cujus diploma post Ughellium de Episcopis Firmanis *T. II. col.* 683. iterum dedit Mansius *T. I. Supplem. ad Concilia Veneto-Labbeana col.* 1049., commentitiam putat P. Maronius in *Commentario de Ecclesia & Episcopis Anconitanis num.* 17., neque injuria, ut ipse etiam ostendi in meo de Laudensibus Episcopis Commentario. Ego tamen ex Auximatium Episcoporum serie PETRUM minime expungam. Nam quærendum supererit, an qui eam dolo malo fabricatus est, ita aut effrons aut ineptus fuerit, ut omnibus verisimilitudinis, ac pudoris legibus posthabitis, personas ipsas confinxerit, eosque, qui numquam exstiterint, nihil veritus facillimam mendacii detectionem, subscriptores in scenam adduxerit.

(1) Charta, quam heic Ughellius indicat, ipsa illa est, quæ in Antiquitatibus Atestiæ Familiæ a Cl. Muratorio ex Benedictinorum Arretinorum tabulario divulgata est *T. I. p.* 187.; neque enim alia ejusmodi sententia ibi extat, quemadmodum me per litteras monuit, quem consului, humanissimus æque atque eruditissimus Hyacinthus Fossombronius. Quamobrem errat primum Ughellius, dum Auximanum, quo de agimus, Episcopum *Leonardum* appellat: CLOROALDUS dicendus is fuerat, uti in ea sententia diserte scribitur. Errat deinde Ughellius, qui anno 983. CLOROALDI Episcopatum ex eo instrumento adscribit. Fuit quidem annus 983. primus Ottonis Germaniæ Regis, verum illo anno Indictio XI. decurrebat, non IX., quæ in sententia illa notatur; ac præterea annus primus Ottonis Regis *in Italia* conceptis verbis designatur, non Germaniæ Regis. Ad quem ergo annum sententia isthæc spectat? Apud Muratorium chronicas hujusce sententiæ notas his verbis contentas legimus: *Regnante Domno Hottone piissimo Rege, anno Rengni pietatis ejus in Italia secundo primo mense Madii, Indictione nona.* Itaque doctissimus editor incertus hæret, quem inde annum eruat, neque injuria, quum annus Ottonis in Italia Regis secundus cum Indictione nona colligari minime possit. Sed bene est. Fossombronius, qua est in legendis, dijudicandisque veteribus chartis acie, Muratorium heic lapsum comperit, atque in autographo non *secundo*, sed *sede* deprehendit: *anno Rengni petatis ejus in Italia sede* (pro *Italica sede*) *primo, mense Madii, Indictione nona.* Itaque (quod etiam Maronius ostendisse se ait in citato *de Ecclesia & Episcopis Anconitanis* Commentario mihi non viso) sententia, atque adeo CLOROALDI Episcopatus in annum 996. conferetur. Nam & hic annus primus Ottonis fuit Italiæ Regis, & nona Indictione notabatur. Id solum quæri potest, sub initiumne Maji, an potius sub ejus mensis finem lata ea sententia fuerit? Muratorius annos Italici Regni ab una Romana coronatione inchoat. Quare quum Otto III. 21. Maji, aut (quod alii malunt) 31. ejusdem mensis a Gregorio V. diademate Romæ insignitus fuerit, ad finem Maji, vel etiam ad ipsum extremum ejus mensis diem isthæc sen-

XI. *GISLERIUS Episcopus Auximanus floruit anno* 1037., *ut refert Rubeus in hist. Ravenn. l.* 5. , *de quo nil aliud reperitur* (1).

XII. *LO-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

ſententia pertinebit. Verum multo veriſimilior mihi eſt Foſſombronii opinio, Italicum Ottonis Regnum a Langobardica ejuſdem Ottonis coronatione, quæ ipſo illo anno *996.* ante Majum habita eſt, inchoantis. Si enim Otto Romæ coronatus tum fuiſſet, non Rex appellaretur, ſed Imperator. Id & huic Ottoni, & Ottoni item primo ac ſecundo ſolemne fuit, ut a Romana coronatione non Italici Regni, ſed Imperii annos numerarent. Quamobrem in charta anni DCCCCLXXIII., quæ in eodem S. Floræ archivo adſervatur, hæc legere eſt: *Otto gratia Dei Mangnus IMPERATOR Acuſtus anni Imperii ejus duodecimo, ſeo & Otto delecto filio ejus ſimiliter IMPERATOR anni Imperii ejus ſexto menſe Martio, Indizio prima feliciter.* Itaque nondum Imperator erat Otto III., cum hæc edita ſententia fuit, atque adeo ad Maji initia revocari hæc debet, nec Romæ, ſed Ravennæ lata veroſimilius habebitur.

(1) GISLERIOS duos Ughellius diſtinguit, mediumque inter eos LOTHARIUM ſtatuit. At Cl. Maronius duos inter GISLERIOS ſceleratum quemdam Epiſcopum collocat, tribus hiſce Epiſcopis LOTHARIUM poſtponit. Et LOTHARIUM quidem ſuo loco vir doctus reſtituit: quos vero tres Epiſcopos ille diſtinguit, eos ad unum ipſe libentius redigo, præeunte mihi Cl. Epiſcopo Compagnonio in litteris ad me datis IV. nonas, & V. Idus Aprilis a. MDCCLIII.

Primum ergo GISLERIUS multo antea Auximatem ſedem occupavit, quam Ughellius ſenſerit. Ejus enim anno MXXII. occurrit mentio in Chronico Farfenſi apud Muratorium *Rer. Italic. T. II. p. II. pag.* 425., ut recte animadvertit Maronius *p.* 17.

Anno deinde MXXXVII. judicio interfuit, quo a *Miſſis* Corradi Imperatoris Gebehardo Ravennati Archiepiſcopo adjudicata ſunt plura bona, quæ in agro Auximate ſita ad ejus eccleſiam pertinebant.

Hæc autem anno MXLVII. de Auximate Epiſcopo ad Clementem II. S. Petrus Damiani ſcribebat. *Sed cum videamus Fanenſem latronem ab his etiam, qui non erant, ſed dicebantur Apoſtolici* (Benedicto IX., ut arbitror, & Gregorio VI.), *maledictum, & excommunicatum; AUXIMANUM QUOQUE TOT & TANTIS INAUDITIS CRIMINIBUS INVOLUTUM, alioſque ſimili ſententia condemnandos, a vobis tanta cum arrogantia, & exultatione reverti, cogitur in luctum ſpei noſtræ gaudium commutari. Nos enim ſperabamus, quod tu eſſes redempturus Iſrael. Quapropter, Beatiſſime Domine, ſic conculcatam & abjectam ſtude relevare juſtitiam.* Nequam igitur hic Epiſcopus Romanæ Clementis II. Synodo eo anno interfuerat. At quis ille? GISLERIUM ajo ego, alium a GISLERIO Maronius fuiſſe contendit. Uter fallamur, lector dijudicet. Damianum appello. GISLERIO Auximati duas Damianum ſcripſiſſe epiſtolas non diffitetur Maronius, quas *amoris atque exiſtimationis plenas appellat*. Age primam recitemus, quæ quarta eſt libri quarti.

Dilectiſſime. Poſtquam a vobis diſceſſi, quamplures homines defunctos eſſe in noſtris partibus reperi. Unde ad vos quoque mentis oculum reflectens, valde perterritus ſum, ne vobis, quod abſit, ſimile quid contingeret; & me tot indutias ſuper indutias protelantem divina ſententia ex aliena morte damnaret. Quapropter obſecro te, chariſſime Pater, per omnipotentem Jeſum, per ſanctos Angelos ejus, per thronum

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

num majestatis ejus igneum, in quo judicaturus est vivos & mortuos, ne temetipsum decipias, ne ulterius differas, ne salutis tuæ remedium de die in diem procrastinando, animam tuam seducas: sed intra cito, dum licet, in portum conversionis, ne te tardantem repentini opprimant casus, ne te inopinatæ mortis absorbeat fluctus, & æstuantis gehennæ deglutiat barathrum. Heu heu, Pater mi, quare non possum impetrare apud Deum, ut tibi oculos cordis aperiat, & lectum calamitatis tuæ, in quo securus jaces, videre permittat? Certe si manifeste conspiceres, quam propinqua est mors, quæ nunc tibi post tergum in insidiis latitat, absque mora relinqueres quidquid tibi mundus arridet, quidquid tibi deceptrix hæc vita demulcet. Sed imprudenter ago, si doctiorem me docere præsumo. Unum dico, Pater mi, nec irascaris, si converti volueris, me servum, me filium, me vilissimum famulum, quamdiu vixeris, sub pedibus tuis habeto: sin autem, nequaquam tecum ulterius colligam; ne, quod absit, a Deo meo dissentiens spargam; nec umquam volo alicui in amore esse conjunctus, qui a divina fuerit societate divisus.

Quicumque hanc epistolam diligenter legerit, Episcopum fuisse intelliget GISLERIUM *salutis suæ remedium de die in diem procrastinantem, in lecto calamitatis suæ securum jacentem, a divina societate divisum*. Quid vero hoc aliud est, quam fuisse illum *inauditis criminibus obvolutum?* Si ergo GISLERIUM constat sceleribus fuisse inquinatum, cur alium confingemus, quem Damianus ad Clementem II. ob ejus crimina detulerit? Hinc annus, quo a Damiano scripta epistola illa fuerit, facile colligitur; caussas etiam habemus, cur Auximi Gislerium licet nequissimum sanctus monachus adierit, quod ejus epistolæ initium indicat. Nimirum de pravis Episcopi illius moribus certior factus Damianus anno MXLVI. ad eum adcessit, ut ad bonam frugem, si fieri posset, perditum hominem reduceret. Postquam ab illo discessisset, litteris quoque eodem anno amici saluti consulit; sed quum surdo cecinisset, quod minabatur, *nequaquam se cum illo ulterius collecturum*, implevit, & anno sequente cum Pontifice expostulavit, quod sceleratum Episcopum de sede non deturbasset.

At inquit Maronius *p.* 19. *Cum ab anno MXXII., imo a tempore superiori Auximanam cathedram Gislerius ille I. impleverit, ut supra diximus, quis probabile reputet, Episcopum adeo criminosum, nec minus probrosum, quam ecclesiæ damnosum, tamdiu aut ab Auximanis, aut ab ipso Damiano tolerari potuisse, ut anno solum* 1047. *puniendum, deturbandumque de sede Damianus ipse censuerit? Accusaverat jam temporibus superioribus, Benedicto IX. Petri cathedram adhuc occupante, proindeque post annum* 1032., *apud Gebehardum Archiepiscopum Ravennatem Episcopos Fanensem, & Pisaurensem, curaveratque, ut quoniam agens Romæ Summi Pontificis erat a latere, ejus opera ab* Episcopatus arce *dejicerentur. Ad Gregorium quoque VI. recens creatum Romanum Pontificem epistolam Damianus dederat anno* 1044., *in qua cum ignoraret pecunia ab eo emptam Romanam sedem, de collata illi dignitate gratulatur, & studio religionis incensus gravissimis verbis hortatur, ut quantocius ab Episcopali sede deturbet Pisaurensem, Fanensem, & Castellanum Antistites, nulla interim neque apud Gebehardum, neque apud Gregorium de Auximano Episcopo facta mentione. Quare S. Petrus Damiani de uno Episcopo Auximano tam caute? Unde tanti silentii caussa pro Episcopo tam infami*, tot (*ut ipse fatetur*) & tantis criminibus involuto? *Quem ad Clementem II. post annos tres detulit, cur non ante detulerat ad Gebehardum, atque Gregorium? Opinabimurne virum sanctissimum humana aliqua ratione præoccupatum, atque constrictum?* Facilis responsio est, GISLERIUM non primis sui Pontificatus annis, sed anno MXLV., aut superiore se tot sceleribus contaminasse, Pisaurensis, Fanensis, & Castellani

Epis-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Episcoporum fortasse vel exemplo, vel etiam suasu in tantam nequitiæ abyssum præcipitatum. Certe quum a. MXLVI. Damianum de GISLERII salute sollicitum nobis illius prodat epistola, aut ante annum illum incomperta Damiano fuisse GISLERII scelera dicendum est (quod non satis probabitur), aut circa illum annum GISLERIUM primo in tantis flagitiis fuisse versatum.

Hactenus GISLERIUM eumdem fuisse vidimus, quem *inauditis criminibus involutum* Damianus adfirmabat; nunc illum a GISLERIO, quem secundum Ughellius, Martorellius, & Maronius habent, non fuisse diversum ostendamus.

Anno MLI. aut superiore Leo IX. has litteras ad Auximates dedit, ut est apud Baronium ad eum annum MLI. n. III.

Leo Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis omnibus Auximanis clero & populo salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia auctore Deo sic nobis unius ecclesiæ cura specialiter est commissa, ut per dignitatem Apostolicæ sedis etiam ceterarum ecclesiarum generalis sit provisio delegata, nostro competere videtur officio, non solum quæ hactenus adversus easdem ecclesias temerariis ausibus sunt usurpata, corrigere; sed etiam, ne rursus eadem præsumantur, in posterum providere. Perversam autem, & prorsus execrabilem quarumdam plebium consuetudinem, fama vulgante, cognovimus: ut videlicet suo defuncto Episcopo, domum Episcopi hostiliter irrumpentes invadant, facultates ejus prædonum more diripiant, prædiorum domos incendant, vites insuper & arbusta bestiali immaniores feritate succidant.

Quod nimirum nisi ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium quia regionibus illis repentini furoris immineat gladius. Si enim honorare parentes primum dicitur in repromissione mandatum: si maledicens patri vel matri mulctari morte præcipitur; cujus animadversionis sententia digni sunt, qui non carnales genitores persequi gestiunt, sed ipsam matrem suam ecclesiam, in qua ex aqua & Spiritu sancto regenerati sunt, ut viperinum genus dissipare contendunt? Etsi enim sacerdos quilibet ex debito humanæ conditionis obiit, sed Christus, qui animarum nostrarum Episcopus est, ex virtute divinitatis in æternum vivit. Sicut enim Paulus dicit: plures facti sunt sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere; Jesus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Deum ergo inhonorare convincitur, qui mortali Episcopo vivente, terrena pressus formidine, ab ecclesiæ se læsione cohibuit: defuncto autem eo, ad injuriam Christi, qui immortalis ecclesiæ sponsus est, sel odii, & virus malitiæ, quod eatenus occultabat, effundit. Et fortasse Episcopus in vita sua aliquem læsit; sed Christus, qui ecclesiæ custos relictus est, quid peccavit? Si ergo illi, qui nocuit, malum pro malo non redditur, cur æterno Pontifici, qui nobis bona pro malis reddidit, reverentia non habetur? Verumtamen si ecclesiæ prædo Dei Filium, immortalem procul dubio Pontificem, videret, si eum ubique præsentem omnia nosse ac posse consideraret; coram ejus oculis admittere tam impium, tam sacrilegum facinus non auderet. Sed vere in illo completur, quod per Psalmistam dicitur: dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Porro si illi, qui bona sua ecclesiæ conferunt, proprii reatus absolutionem felici commercio promerentur; subsequenter autem illi, qui ecclesiasticas facultates barbarica feritate diripiunt, in æternæ suæ damnationis voraginem cadunt; qui nimirum novo & incomparabili criminis genere sic judaicam perfidiam superant, ut non modo Gentilium errorem, sed & hæreticorum pravitatem detestabiliores excedant, a quibus videlicet Christus iterum crucifigitur, & corpus ejus, quod est ecclesia, crudeliter laceratur.

Deprimatur ergo ausus illicitus, & nefarius diabolicæ instigationis cohibeatur excessus; abstineat manus audax ab ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperum pe-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

veat; ne quod ex oblatione fidelium jam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat. Quisquis autem hujus nostri decreti improbus temerator extiterit; ex parte Dei omnipotentis, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli anathematizandum esse decernimus, & ut revera putridum membrum excommunicationis ferro a sanctæ ecclesiæ corpore detruncamus. Sit igitur, nisi resipiscat, Anathema, Maranata, omnesque maledictiones Hebal super caput suum descendisse cognoscat. Observatoribus autem gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Amen.

Huic epistolæ dare occasionem debuisse Auximatis Episcopi mortem Baronii, Ughellii, Laderchii, Mittarellii, Costadonii, & Maronii sententia est. *Quare enim*, inquit Maronius, *hæc Leo ad Auximanos, si hujusmodi consuetudo communis erat cæteris populis? Si nihil tunc Auximi acciderat, quod Leonem ad eam epistolam conscribendam impelleret?* Quæ quidem nisi Leonis epistola exstaret, ut ejus sententiam adsequi non liceret, me maxime commoverent. Verum quid conjecturas insectamur, ubi epistola ipsa generalem quamdam in expilandis ecclesiis consuetudinem indicat, atque reprehendit? *Perversam*, inquit Pontifex, *& prorsus execrabilem QUARUMDAM PLEBIUM consuetudinem*: cur non Auximates ipsos de patrato hoc scelere objurgat? Cur ait, velle se, *ne rursus eadem præsumantur in posterum*, *PROVIDERE*. Cur Auximatibus non imperat, ut direpta bona ecclesiæ restituant? Non igitur, si epistolæ verba scrutemur, Leo aut mortuum sumit Auximatium Episcopum, aut ad Auximates scripsit tantum facinus ab ipsis admissum exprobraturus. Generalis epistola est, quam ad alias quoque *plebes* Pontifex miserit, etsi unius exempli ad Auximates missi ad nos memoria pervenit. Quod si quis omnino velit, ad solos Auximates Leonis epistolam spectare, non disputabo; neque tamen eorum Episcopum tunc obiisse, illiusque bona ac facultates a civibus illis dissipatas hinc licebit colligere, sed tantummodo timuisse Pontificem, ne quod scelus ab aliis noverat admissum, Auximates quoque, si illorum Episcopum, qui fortassis ægrotabat, mori contingeret, perpetrarent, eoque facilius, quo magis ob vitæ licentiam, moresque corruptos erat ipsis GISLERIUS invisus.

Nihil ergo quum caussæ sit, cur quo anno scripta est ea Leonis IX. epistola, Auximatium Episcopum mortuum dicamus, & anno MLVII. labente GISLERIUS eorumdem Antistes occurrat; hic ille ipse fuisse videtur, de quo hactenus locuti sumus.

Dixi anno MLVII. labente GISLERIUM Auximati ecclesiæ præfuisse. Eo enim anno S. Petrus Damianus nondum Episcopus (anni insequentis Martio mense Ostiensi ecclesiæ præfectus fuit) GISLERIO Auximati Episcopo, quod inter ejus opera XVI. est, Opusculum inscripsit. Ad annum quidem MLI. video Opusculum illud a Mittarellio, Costadonio, ac Maronio referri; cum enim Damianus adserat, exaratum a se fuisse illud Opusculum paullo postquam interfuerat Romanæ Synodo, in qua de monachis ad sæculum deficientibus egerat cum summo Pontifice, eam vero Synodum haberi omnino debuisse sub Leone IX. ipsi censeant; Opusculum illud GISLERIO nuncupari debuisse ajunt anno MXLIX., aut ML., aut MLI., quorum singulis congregatæ sunt Romæ a Leone contra præcipue Simoniacos Synodi. Verum si animadvertissent, in eo Opusculo Guidonem Numanatem Episcopum a S. Petro Damiano memorari, ad annum procul dubio MLVII. Opusculum illud pertinere docti ii viri intellexissent. Quum enim Julio mense a. MLVI. Numanas Episcopus esset Guillelmus, ut ex Victoris II. diplomate apud Ughellium in

Apru-

XII. *LOTHARIUS memoratur in bulla Alexandri II. ecclesiæ Forosempronienſi conceſſa* 1062. (1).

XIII. *GISLERIUS* (1) *Auximi Episcopus, quem Petrus Damianus Card. epiſtola* n. 4. *hortatur, ut ſpreto ſeculo, Deum impenſius, pieque colat*, lib. 4. epiſt.. *Prædeceſſoris hujus tempore obitus Leo IX. ad Auximanos ſcripſit epiſtolam, qua poſt obitum Episcopi expilatores domus Episcopatus redarguit; habetur inter ejuſdem Pontificis epiſtolas* num. 3. *apud Binium* tom. 3. Concil. par. 2.. *Ad GISLERIUM hunc Auximanum Episcopum ſcribit S. Petrus Damianus Opuſculum adverſus Episcopum Monachos ad ſeculum revocantem, quod extat* tom. 3. *operum ejuſdem Sancti ſtudio ac diligentia D. Abbatis Conſtantini Cajetani.*

H 2 XIV. *GUAR-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Aprutinis Episcopis *T.* 1. *col.* 353. conſtat, atque adeo nonniſi poſt eum annum Guido illi eccleſiæ præfuerit; Damianus quoque Opuſculum, in quo Guidonis meminit, ante illum annum ſcribere nequaquam potuit. Synodus itaque Romana, quam Damianus indicat, non ſub Leonis IX. Pontificatu quærenda eſt, ſed aliqua ex illis fuerit, quas ex Leone Oſtienſi tradit Baronius a Stephano X., ut Pontificatum indeptus eſt, anno MLVII. fuiſſe celebratas.

At ſi idem GISLERIUS hic eſt, quem ſub Clemente II. *inauditis criminibus involutum* Damianus dixerat, quei factum, ut anno MLVII. & Opuſculum hocce ejus nomini inſcriberet, & illum ſummis laudibus extolleret? Nimirum provectiore ætate, maximeque adnitente viro ſanctiſſimo Petro Damiano, mores demum emendaverit.

Quantum poſtea GISLERIUS vixerit, incertum eſt: ſed quum ab anno ſaltem MXXII. ad MLVII. Auximatem eccleſiam gubernarit, ſeptuagenario, ac fortaſſis etiam octogenario major deceſſerit.

(1) MLXX. ſcribendum ex autographo, cujus hæ notæ chronicæ ſunt: *Actum menſe Maij die vero XV. Indictione VIII.*. Confer eruditiſſimum Abbatem D. Maurum Sartium *de Episcopis Eugubinis pag.* 45., & Maronium in *Comment. de Eccl. & Episc. Sabinenſibus num.* 9.. Sed anno jam MLXVI. LOTHARIUM Auximati eccleſiæ præfuiſſe adfirmat Holſtenius, qui eo illum anno memorari ait in privilegio S. Dionyſii. Ughellius in Camerinenſibus Episcopis hæc habet *T. I. col.* 552. *Ven. edit.*: *De Adelberto* (Ajani domino) *in vetuſtis chartis legitur, quod cum ſine liberis eſſet, an. MLXXXII., cum Adelberga uxore ſua caſtrum ſuum Ajani, cum bonis ac pertinentiis ſuis, dono dediſſe (dederit*, legendum) *eccleſiæ ſancti Leopardi Auximi, & Episcopo ejuſdem civitatis*. Quis autem hic Episcopus fuerit, idemne LOTHARIUS (quod probabiliter Maronius exiſtimat), an alius ejus ſucceſſor, definiri non poteſt. Illud exploratum, LOTHARIUM noſtrum eum fuiſſe, qui in Ravennate charta infra a nobis reddenda, ubi de GENTILI Episcopo differemus, *Lauterius* appellatur, & *Giberto* Ravennate Archiepiſcopo concedente Maſſam Aternanam dicitur *habuiſſe*. Quamobrem annum ſaltem ſeptuageſimum tertium ſupra milleſimum, quo *Gibertus* Martio aut etiam Aprili menſe conſecratus fuit, LOTHARIUS adtigit.

(1) Hic Episcopus expungendus, ut ad num. XI. pluribus comprobavimus.

XIV. *GUARNERIUS*, *anno* 1150. (1). *Hunc GUARNERIUM vocant ex nobili Guarneria Auximana familia natum, quæ viros illustres dedit, inter quos fuit Franciscus sub Sixto IV. Cameræ Apostolicæ Clericus, vir clarissimus* (2). *Cæterum GUARNERIUS, ut auctor vitæ S. Vitelliani scribit* (3), *Ecclesiasticam disciplinam solutiorem adstrinxit, summoque zelo divinum D. Vitelliani Episcopi Auximani officium celebrandum novo decreto statuit, quod hucusque solemni ritu agitur in ecclesia Auximana die* 16. *Julii* (4).

XV. *GENTILIS*, *Laterano Concilio interfuit sub Alexandro III.* 1179. (1). *Hic ille est, qui sumptuoso opere novam Cathe-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Martorellius GUARNERIUM vixisse ait Paschalis (II.), & Friderici Ænobarbi temporibus. Atqui Paschalis a. MXCIX. Pontifex renunciatus est XIX. Kal. Septembris, obiit vero anno MCXVIII. sex & triginta annis antequam Fridericus Imperii potiretur. Canonicus Giudici Martorellium, ne pugnantia scripsisse videatur, ita explicat, ut sub Paschali GUARNERIUM Episcopatum suscepisse, sub Friderici vero initia morientem dimisisse significarit. Baldius certe circa ann.° MCX. GUARNERII Episcopi initium collocat. *Gibertus* autem, quo Archiepiscopo, ut vidimus, LOTHARIUS floruit, quum annum centesimum supra millesimum vitæ suæ extremum habuerit, quid si ego LOTHARIUM sub anni MXCIX. finem obiisse, sequente vero anno GUARNERIUM illi suffectum dixero? Poterat ergo GUARNERIUS ad annum MCLIV. superstes Friderici Imperatoris æqualis esse aliquot saltem mensibus. Verum id stare nequit; nam ab anno saltem MCLI. GUARNERIUS successorem habuerat, ut infra patebit.

(2) Nuper de eo luculentissime egit eruditus Marcus Antonius Talleonius *pag.* 27. *seqq.* operis alias a me citati, inscriptique *Notizie intorno al Sangue miracoloso &c.*

(3) Ignotus mihi auctor.

(4) Ughellius in Episcopis Camerinensibus *l. c.* scribit, *Eugenium III. confirmasse donationem factam Abbati Bernardo, & monasterio Claraevallis ab Abbate Rambone Benedictino de ecclesia S. Mariæ in Sylva Auximanæ diœcesis, anno* 1153., *cum jam antea GRIMOALDUS Auximanus Episcopus jus, quod habebat in ea ecclesia, cessisset die* 2. *Julii* 1151. *ex instrumento acto Auximi, & rogato ab Simeone notario: D. GRIMOALDUS Episcopus Auximi dat D. Bernardo Abbati monasterii S. Mariæ Claraevallis, & ejus successoribus ecclesiam juris sui S. Mariæ in Sylvis, quæ est ædificata in plano Ajani*. GRIMOALDUS ergo inter GUARNERIUM & GENTILEM collocandus est: quod accuratissimum P. Maronium minime fugit. Hujus quoque GRIMOALDI mentio occurrit in Ravennate instrumento paullo post exhibendo. In eo autem quum GRIMOALDUS ex *concessione Anselmi* Archiepiscopi Ravennatis Massam Aternanam *habuisse* dicatur, eum ad annum MCLV., aut etiam MCLVIII., quorum ille, Amadesio auctore, primus, hic supremus fuit *Anselmi* Archiepiscopi, palam est pervenisse.

(1) Duobus ante annis, a. MCLXXVII., Venetias adcesserat, ut Alexandro III. Pontifici obsequeretur. Discimus hoc ex Veneto Chronico, quod ex Ulmio Martorellius citat *p.* 65.; ibi enim inter Magnates, ceterosque, qui tunc temporis Venetiis fuerunt, recensentur: *Ste-*

Cathedralem construendam curavit, erecto in ea sacello, quod Sancta Sanctorum *placuit appellare, majusque ejus templi altare Deiparæ* Virgini *consecravit, ibidemque corpora Ss. Victoris, Coro-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Stefano eletto Vescovo de Pexaro con homeni 20.
ZENTIL Vescovo Auximano con homeni 24.
Eizellino Vescovo de Rimano con homeni 12. *&c.*

Tunc autem GENTILIS *Electus* tantum erat. Discimus hoc ex Ravennatis Archivi instrumento, quod Viri Clarissimi Josephi Aloysii Amadesii humanitati adceptum refero. Est illud hujusmodi.

✠ *In Dei nomine Anno ab Incarnatione Dñi nrī Jesu Christi millesimo centesimo septuagesimo septimo de mense Novembri octavo die intrante indictione decima dño Alexandro Pp. ecclesie Dei presidente. Frederico romanor. imperatore regnante. Girardus Servus servor. Dei scē Ravennatis ecclesie Archiepiscop. & ejusdem civitatis Exarchus. Gentili Dei gratia scē Auximane ecclesie electo tibi, & tribus successoribus tuis unus post alium. Peticioni vestre que habetur in subditis libenter adcomodamus adsensum. Ob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipienti in perpetuum quod datur acquiritur. Et quoniam sperasti uti massam integram que vocatur Aternana cum casulibus & appendicibus suis & cum colonis & pensionantibus suis & cum terris vineis campis pascuis silvis olivetis cannetis molendinis aquimolis & cum omnibus ad dictam Massam integriter pertinentibus sitis territorio Auximano plebe scī Donati* (sic) *a primo latere fuñd q. vocatur roborata a secundo fuñd q. vocatur Tussianus. a tertio fuñd q. vocatur* .... *a quarto fuñd q. vocatur Tenda bonelli. insuper quoque concedimus tibi & successoribus tuis fundum integrum q. voc. Papirianus cum omnibus sibi pertinentibus sito territorio Auximano plebe S. Johannis in strada. a primo latere fund. q. vocatur Lonzanus & fund. Corolianus. a secundo fund. Foronicanus. a tertio fund. octabianus & Procilianus, & Salbonis. a quarto fund. corocianus & fund. Sevetini. Verum etiam & alium fundum concedo tibi & tuis successoribus qui vocatur Fabianus juris scē Ravennat. ecclesie cum omnibus sibi pertinentibus. Ab uno latere fund. Consortius. ab alio fund. Longobaldie. a tertio fund. glarie. a quarto fund. Triscanis. Itemq. concedimus vobis sex uncias fundi Boloniani. a primo latere ipsius fund. q. vocatur Umbrianus qui monoleo vocatur. ab alio fund. Vicianus q. vocatur Bonacianus. a tertio Aquavivola q. vocatur Campo longo. a quarto fund. Antonianus q. Procolici vocatur. sicque campum unum cum spinsa sua. a primo latere rivus qui voc. Apria. a secundo lat. alius rivus. a tertio latere possessio que dicitur Teodorici. a quarto latere rivus. Hec omnia sunt juris ravennatis ñre ecclesie cum terris vineis campis olivetis cannetis silvis pratis arbustis arboribus fructiferis & infructiferis & cum omnibus ad predictam rem integriter pertinentibus sito territorio Auximano & Anconitano. Hec omnia postulastis largiri si tamen juste & racionabiliter a nobis petistis vel ab aliis minime detinere videntur. sub statuta pensione de prefata Massa solidorum viginti & per unumquemque solidum denarios XXXIV. & pro fundo Apiriano bizencium unum & tertiam partem unius bisancii & pro fundo Fabiani binos aureos. Et pro sex unciis fundi boloniani cum prefato campo denarii sex. que predicte possessiones & alie quas tu prefatus electus vel antecessores tui aliquo modo habuerunt aut aliquis de nobis de iure scē ñre ravennatis ecclesie ex concessione venerabilium antecessorum nostrorum Giberti & Anselmi tuis antecessoribus Lauterio & Grimaldo* ...... *predictam rem cultare & defen-*

Coronæ, atque Philippi, quæ ex Alexandria Ægypti ad Numanam civitatem delata fuere, deinde ad oppidum Fidardum, ubi propemodum ingloria jacuerant ad eam diem, in Auximate, inquam,

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

defensare & restaurare & in omnibus meliorare D.° debeatis adjutore. Nichilque de omni expensa quam ibi feceritis actoribus scē ñre ravennat. ecclesie imputare debeatis. Set ante nominatam pensionem omni Martio mense vel infra indictione sine aliqua excusatione vel dilacione a torib. scē ñre ravennatis ecclesie persolvere debeatis & nec cuiquam hanc concessionem vel predictam rem alicui ..... dare seu transferre aut alienare vel opponere nec commutare neque in aliquo venerabili loco derelinquere audeatis per aliquod ingenium vel argumentum. Sed nec aliquando adversus sctām nrām benefactricem vestram ravennatem ecclesiam quicquam contra justitiam tractare aut agere nisi in propria causa per justiciam si contigerit tantummodo ventilare audeatis. Quod si in aliqua tarditate vel negligentia aut controversia inventi fueritis tam ad inferendam predictam pensionem quamque ad meliorationem predictarum rerum non solum de hac concessione decadatis verum etiam daturi eritis parti scē ñre ravennat. ecclesie pene nomine auri libras sex. & si non persolveritis supradictam pensionem infra biennium ut leges censent tunc pena soluta liceat actoribus scē ñre ravennatis ecclesie vos inde expellere & qualiter providerint ordinare & post transitum tuum prefati GENTILIS Auximane scē ecclesie electi, & trium tuorum successorum predicte possessiones cum quicquid ibi aditum melioratumque fuerit cujus est jus & proprietas modis omnibus ñre ravennati revertatur ecclesie sine molestia. Quam vero paginam concessionis ego Nicolaus notarius de veritate Auximi complevi & roboravi.

Plebs, quæ heic nominatur *S. Donati*, notarii errori adscribenda, ut me monuit idem V. Cl. Amadesius. Nam in alia Ravennate charta, cui titulus *Pensiones Episcopi Auximani*, ea dicitur *Plebs S. Damiani*. Sed operæ pretium erit illam heic exhibere, ut eam a se descriptam mecum Amadesius communicavit.

Episcopus Auximanus debet ecclesie Ravenne singulis annis pensionem solidos viginti. & pro unoquoque solido ana denarios triginta VI. Item pro massa integra que vocatur aternada cum salibus suis & appenditiis & cum colonis & pensionibus suis. & cum terris vineis & campis. aquis. aquimolis. & cum omnibus ad predictam massam pertinentibus. sita territorio Auximano plebe S. Damiani. a primo latere est fund. q. vocatur Calviniano. a secundo est fund. q. vocatur Roborata. a tertio est fund. q. vocatur Tussianus a quarto est fund. q. vocatur Tenda bonelli. pensionem unum bisancium. & tertiam partem alterius bisancii pro fundo integro q. vocatur .... nus cum omnibus sibi pertinentib. posit. territorio Auximano plebe sci Joannis in strada ..... fund. Lanzanus. & fund. Carolianus. a secundo fund. Forolianus. a tertio .... s Porcilianus. & Sabania. a quarto fund. Corocianus. & fund. Si .... pensionem binos aureos pro sex unciis fundi boloniani. a primo latere ipsius .... umbiranus qui vocatur mons Leo. & ab alio latere fund. .... bonatianus. a tertio latere ãq viola que vocatur Campo longo. a quarto .... q. Percolici vocatur. Item denarios sex pro campo uno cum .... a primo latere rivus vocatur Aspia. a secundo latere alius rivus. a tertio latere est possef........... atur Tederici. a quarto latere est rivus. Hæc omnia sunt juris scē rav. ecclesie .... sita territorio Auximano & territorio Anconitano.

Mira-

quam, Cathedrali honorificentissime collocavit (2). *Usque ad Cælestini Pontificis tempora* GENTILIS *vitam produxit* (3). *Testis fuit Donationis Henrici VI. factæ Bernardo Archidiacono Asculano anno* 1195. 4. *id. Aprilis*. GENTILIS *vero intuitu comes Halbertus Carvoncellus Attonis filius ecclesiæ Cathedrali* S. LEOPARDI *oppidum Insulæ in perpetuum possidendum tradidit. Ejus donationis documentum in Archivio ejusdem ecclesiæ asservatur tenoris sequentis* (4).

„ *In Dei nomine anni sunt ab Incarnatione Dom. nostri Je-*
„ *su Christi* 1199. *tempore domni Innocentii summi Pont. &*
„ *universalis PP. Imp. non existente, & de mense Septembri*
„ *indictione II. Auximi civit. Ego Albertus filius quondam co-*
„ *mitis Attonis Carvoncelli renuncians in hoc facto omni ex-*
„ *ceptioni, & omni legum auxilio, & omni privilegio mihi*
„ *competenti, & competituro ratione rei, vel persone, propria,*
„ *& spontanea mea bona voluntate do, trado, & concedo vo-*
„ *bis D.* GENTILI *Aux. eccl. Episcopo, & vestris succésso-*
„ *ribus nomine jam dicte eccl., & vobis D. Attoni Potestati*
„ *Auxim. & vestris successoribus pro com. Auxim., idest ca-*
„ *strum ysole de Lorzano cum tota sua curia & omnibus suis*
„ *pertinentiis, & cum omnibus castellanis, & habitatoribus*
„ *predicti castri, tam presentibus quam futuris in posterum, &*
„ *jurisdictionem, & dominium predicti castri, & omne jus,*
„ *quod habeo in predicto castro, & in omnibus supradictis, &*

„ *pro-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Mirabitur fortasse quispiam in superiore Instrumento Massæ Aternanæ LAUTERIO & GRIMALDO a *Giberto* & *Anselmo* concessæ mentionem injici; concessionem autem LEONI factam a *Georgio* Archiepiscopo prætermitti. Verum mirari is desinet, quum norit *Honestum* secundum Ravennatem Archiepiscopum a. DCCCCLXXVIII. eam ipsam Aternanam Massam temporum illorum conditione id fortassis poscente, tradidisse *nobili viro* Teobaldo *filio Ermidonis ex genere Francorum & Amelgarde ejusdem jugali .... filiis & nepotibus*. Quare quum deinde ad Ravennatem ecclesiam Massa illa veluti postliminio fuisset revocata, facile quisque intelligit, potuisse eam Auximati Episcopo LAUTERIO a *Giberto* concedi, quin antiquior illa *Georgii* concessio memoraretur; ac propterea a *Girardo* quoque fuisse hanc silentio præteritam.

(2) A. MCXCV., ut ex Baldio *c.* 10. adnotat Canonicus Giudici.

(3) Annum ergo non excessisset MCXCVIII., quod falsum esse infra ostendemus.

(4) Hujus donationis charta apud Ughellium tot tantisque mendis fœdata est, ut satius duxerim eam heic ex integro repræsentare, collatam cum apographo, quod *libro Rubro* Urbani Archivii *pag.* 2. inscriptum est.

„ promitto, & confiteor tenere, & custodire predictum castrum „ bona fide, sine fraude pro vobis, & facere ex predicto castro „ cum habitatoribus ejus, & pertinenciis suis pacem, & guer- „ ram cuicumque, & quantumcumque volueritis, & similiter „ promitto facere vobis exercitum, & parlamentum ad manda- „ tum, & preceptum vestrum, vestrorumque successorum, & „ promitto per me, & meos heredes atque successores vobis „ D. GENTILI predicto, vestrisque successoribus nomine pre- „ dicte eccl. S. LEOPARDI dare & deferre annuatim omni anno „ in festo S. Leopardi unum pallium de seta valens 40. solidos „ Luc. monete nomine pensionis. Et si ego predictus Albertus, aut „ mei heredes, vel successores hec omnia, que superius legun- „ tur, in totum aut in aliquo non observaverimus, aut adim- „ plere noluerimus, promitto per me meosque successores vobis „ D. GENTILI predicto & D. Attoni solvere vobis, aut ve- „ stris successoribus pro predicta ecclesia & commune nomine „ pene centum marcas puri argenti, & post penam datam atque „ solutam promitto per me, meosque successores, vel heredes „ omnia, que superius leguntur, firma, & rata in perpetuum „ observare, & adimplere. Insuper ego predictus Albertus affir- „ mavi per sacramentum evangeliorum corporaliter prestitum „ omnia, quæ superius leguntur, observare in perpetuum. Hec „ acta sunt in presentia Symonis Petri, Johannis Boni Jo- „ hannis, Ingonis Attonis, Ismundi Bernardi, Andree Vincen- „ cii, Albertini Bonfilii, Guillelmi Johannis senioris, & alio- „ rum multorum &c. Ego Thomas Aux. civit. not. interfui, „ scripsi, & complevi, &c.

Loco ✠ Signi (5).

Quo etiam Præside Cingulani cives castrum S. Vitalis, aliaque loca ecclesiæ S. Leopardi reddiderunt anno 1204. *Id constat ex sequenti monumento ab eodem Archivio desumpto* (6).

„ In Dei nomine anni sunt ab Incarnatione D. N. J. Chri- „ sti

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(5) Anno MCXCVI. mense Januario juramento præstito se GENTILI Episcopo & ecclesiæ Auximati consules castri Fidardi obstrinxerunt (Vide Dissertationem III.): quemadmodum anno MCXCIX. mense Septembri consules castri Montis Urbani.

(6) Et hæc apud Ughellium, sed & apud Martorellium *pag.* 86., mendosissima. Accipe eam ex *libri Rubri* superius laudati *pag.* 2.

„ *sti* 1204. *nono die exeunte mense Februario indict. VII. Aux.*
„ *civit. tempore D. Innocentii summi Pontificis, & universalis*
„ *PP. nullo Imp. Rom. existente Imperio. Ego Jacobus de Lor-*
„ *nano potestas Cinguli una cum consiliariis, & hominibus ca-*
„ *stri Cinguli promittimus, & desuper nos predicti homines pre-*
„ *fati castri Cinguli juramus sacramento Evangeliorum corporaliter*
„ *prestito restituere & reddere atque dare omnes possessiones omnia-*
„ *que jura, & consuetudinem pertinentem ad ecclesiam S. Leopar-*
„ *di vobis D. GENTILI prefate ecclesie Episcopo, & vestris suc-*
„ *cessoribus futuris, & in omnibus suprad. juramus & promittimus*
„ *obedire & stare ad vestrum mandatum observandum, & omnia*
„ *supradicta juramus firma illibataque perpetuo observare. In-*
„ *super promittimus & juramus, & quietamus castrum S. Vita-*
„ *lis ecclesie S. Leopardi, & communitati Aux. cum omnibus*
„ *hominibus de Trevezano, qui ibi habitant, & cum ceteris ca-*
„ *stellanis ibidem habitantibus, & cum omnibus possessionibus, &*
„ *bonis eorum, salvo jure & consuetudine hominii, quod ipsi*
„ *nobis facere debent, & predictis hominibus prefati castri jura-*
„ *mus firmam pacem tenere & perpetuo observare, & omni mo-*
„ *do juramus & quietamus ecclesie S. Leopardi, & Aux. commu-*
„ *nitati castrum Cerlongi, cum omnibus hominibus ibidem habitan-*
„ *tibus, & etiam cum omnibus possessionibus, & bonis eorum, &*
„ *similiter juramus & quietamus castrum Arzioni predicte ec-*
„ *clesie S. Leopardi, & pref. com. Aux. cum omnibus hominibus*
„ *predicti castri, & cum omnibus possessionibus & bonis eo-*
„ *rum, & desuper juramus reddere omnes castellanos, & ho-*
„ *mines castri Arzioni, quos habemus, com. predicte ad habi-*
„ *tandum in castro Arzioni, reservato precepto Gottebaldi po-*
„ *testatis Aux. de eo quod nos Cingulani dedimus quibusdam*
„ *castellanis de Arzione. Insuper juramus & promittimus,*
„ *quod permittemus & concedemus com. Aux., & Alberto co-*
„ *miti reficere & reedificare pacifice castrum ysole, & promitti-*
„ *mus & juramus reddere & dare com. predicte universos ho-*
„ *mines castri predicti cum omnibus possessionibus & bonis eo-*
„ *rum ad habitandum in prefato castro. Insuper juramus &*
„ *promittimus reddere universas possessiones, jura, & consuetu-*
„ *dines Alberto comiti, & aliis hominibus predicti castri, quas*
„ *vel que ipsi habuerunt uno mense ante guerram inceptam,*
„ *quam nobiscum fecerunt. Et desuper quietamus & concedi-*

I „ *mus,*

„ mus & damus ecclesie S. Leopardi & com. Auximi predi-
„ ctum castrum Insule cum omnibus hominibus, & futuris ca-
„ stellanis, & cum omnibus possessionibus & bonis eorum. In-
„ super promittimus & juramus facere & tenere perpetuo fir-
„ mam pacem com. Aux., & omnibus civibus prefate civit., &
„ omnibus hominibus de comitatu jam dicte civit., & filiis De-
„ fensoris, & Raynaldo Octaviani, & filiis suis, & juramus,
„ quod omnia castra comitatus Aux. permittemus esse in suo sta-
„ tu, & quietamus promissione & sacramento omnia maleficia
„ & omnes offensas Auximanis civibus omnibus, & universis
„ hominibus de comitatu predicte civitatis, & omnibus homini-
„ bus, qui auxilium prestiterunt Auximanis in guerra, quam
„ ipsi Aux. nobiscum habuerunt, scilicet eas offensas & male-
„ ficia quietamus, que a tempore guerre predicte incepta usque
„ nunc commissa vel facta fuerunt: & promittimus & jura-
„ mus com. Aux. facere exercitum, & parlamentum, pacem, &
„ guerram quibus Aux. cives facere voluerint, ad mandatum
„ & voluntatem communitatis Auximi.

„ Insuper nos Cingulani juramus obedire ad mandatum D.
„ Gottebaldi potestatis Aux. de pretio possessionum, quas
„ nos Cingulani communiter, vel singillatim emimus ab homini-
„ bus castri Insule propter captionem predicti castri, & de
„ quinque castellanis Insule, quos habuimus ante captionem pre-
„ dicti castri. Insuper hoc modo juramus reddere vel dare eccle-
„ sie S. Leopardi, & D. GENTILI jam dicte ecclesie Episcopo,
„ suisque futuris successoribus omnes possessiones & consuetudi-
„ nes, omniaque jura pertinentia ad ecclesiam S. Leopardi, que
„ duobus annis antea quam D. GENTILIS Aux. Episcopus ti-
„ more Imperatoris ductus ivisset Romam, prenominate eccle-
„ sie ablate vel ablata fuerunt, & desuper promittimus &
„ juramus vobis domino Gentili Aux. episcopo, & vestris futu-
„ ris successoribus, & vobis D. Gottebaldo potestati Aux., &
„ communitati predicte civitatis, & vestris futuris successoribus
„ in predicta communitate per nos, & nostros heredes, & suc-
„ cessores omnia, que superius scripta sunt & continentur, fir-
„ ma illibataque perpetuo ac semper observare, & si omnia,
„ que superius scripta sunt, non observaverimus, aut in aliquo
„ corrumpere tentaverimus, promittimus per nos, & nostros he-
„ redes, & successores, atque juramus vobis D. GENTILI

„ Aux.

„ *Aux. episcopo, vestrisque futuris successoribus, & vobis D.*
„ *Gottebaldo potestati Aux. pro jam dicte civitatis communita-*
„ *te, & vestris futuris successoribus in jam dicta communitate*
„ *solvere & dare ducentas marcas puri ac boni argenti nomi-*
„ *ne pene, & post penam supradictam datam atque solutam*
„ *instrumentum hoc semper incorruptum atque inviolabile exi-*
„ *stat, & in his omnibus supradictis renunciamus omni exce-*
„ *ptioni nobis ad presens competenti vel deinceps competiture.*
„ *Hec omnia acta sunt in presentia istorum testium, scilicet*
„ *Gualterii Grimaldi de Civitella, Petri Sancti, Pauli Ugolini ju-*
„ *dicis, Boniscamini Johannis, Ruzzerii Symonis, Petri Atto-*
„ *lini, Guillelmi Johannis senioris, Guiczi Auximani Muran.....*
„ *..., & aliorum plurium &c..*

„ *Ego Thomas Auximane civitatis notarius complevi, &*
„ *absolvi* (7).

I 2 *Post*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(7) Quod heic Ughellius monumentum reddit, a Martorellio deinde editum est *p. 86.*, ac tertio a me *Excurs. Litterar. p. 261.* ad antiqui apographi fidem. At Cl. Raphaellius illud *falsum*, *commentitium*, & *apocryphum* habendum esse contendit *p. 236. seq.*. Sed quibus demum argumentis? Dicam libere quod sentio, longe infirmissimis, inanibusque.

Ait primum, hocce instrumentum Episcopo Zacchio, Herculi Gallo, Jacobo Lauro, Antiocho Onuphrio, ceterisque Auximatium rerum veteribus historicis ignotum, tandem an. MDCXLVI., Ferdinando Ughellio obstetricante, in lucem prodiisse. Quæ quidem quo spectent, non satis perspicio. Ne suspicor quidem in mentem Cl. auctori venisse, ut illud sub Ughellii tempora confictum indicaret. Auximum adeat vir eruditus, atque ab Auximatibus petat, ut sibi liceat *librum Rubrum*, in quo exstat, inspicere; statim e chartæ & characterum indole intelliget, multo ante Ughelliana tempora exaratum. Quid porro si, quod ipse sumit, a Zacchio ceterisque fuisse ignoratum, negavero? Quo id probabili argumento efficiet? Nempe Zacchius illius non meminit, non Gallus, non Onuphrius, non alii. Ita est; at nisi omnia plane Auximatium scripta monumenta latuisse illos velimus, nihili habendum est tantopere jactatum hocce silentium; Zacchius enim nullum omnino ex tot, quæ a Martorellio, atque a me cum in *Excursibus litterariis*, tum in *Anecdotis medii ævi* prolata sunt, recitat instrumentum; Gallus vetera marmora illustrat, de manu exaratis monumentis silet; unam Onuphrius Eugenii IV. Constitutionem reddit, historicorum antiquorum atque recentium testimoniis contentus. Sed ignorasse illos demus *chartulam hanc castri Cinguli*. Ideone falsitatis eam arguemus? Dii meliora. Quot in dies ex Archivorum latebris emergunt diplomata instrumentaque, quæ historicorum industriam fugerunt? nec tamen hac de caussa meræ nugæ, aut Anniana commenta ab æquissimo judice Raphaellio habebuntur.

Sed pergamus Raphaellium audire. *Essendo*, inquit l. c., *stata legalmente, e mi-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

minutamente riconosciuta , ad istanza di esso comune di Cingoli , a' 29. Dicembre MDCCXXXIII., fu ritrovato, ch'era , ed è carta informe, evidentemente falsa , suppositizia , ed apocrifa ; mentre è scritta a colonna , e con diverso caratteré , parte , cioè , con inchiostro più antico , e parte con più moderno , manifestissimo indizio di falsità ; non ha segno di Notajo , costumato ancora a quei tempi (Thomæ tamen notarii nomen minime deest) ; *e non è stata legata in protocollo alcuno , se non se dopo l'anno MDCCV., giacchè scrisse allora il Sig. Martorelli , che codesta carta conservavasi* nella cassa delle Bolle della Segretaria pubblica *d'Osimo senza indicare però contro il solito suo costume la pagina del libro , in cui era essa inserita*. Extrema hæc perpendamus. Martorellius ait, hanc chartulam fuisse adservatam *nella cassa delle bolle della Segretaria pubblica d' Osimo*. Quid tum ? ergo ne licet Raphaellio colligere, eam ante annum 1705., quo illa a Martorellio scripto mandabantur, nondum fuisse in ullum volumen illatam? Minime vero . Quod enim sub annum 1705. Martorellius scribebat , idipsum vere hoc anno adfirmare potuisset , si viveret , *liber* enim *Ruber* , in quo ea legitur, in cista illa reconditur. Cetera id unum efficiunt, quod nemo inficiatur, apographum tantum ejus chartæ in Auximate Archivo servari , non ipsum autographum. Verum quid innumeris fiet monumentis , quid historiæ illis nixæ , si nobis esse liceat tam severis , ut sola autographa admittamus ?

Audio demum , quod verum si sit , alicujus esse momenti videretur . Falsa indictione charta illa notatur , nam eo anno XX. Februarii die non VII. indictio , sed sexta decurrebat . Ac si de autographo quopiam ageremus , aliquam fallax indictio falsitatis suspicionem movere posset ; quum autem apographum hoc sit , quam facile esset errorem hunc amanuensi adscribere , Mabillonii , Muratorii , aliorumque sexcentorum exemplo ! Hoc tamen opus non est . Adsentiri enim viro docto non possum , qui Indictionem VI. non VII. anno MCCIV. notatam fuisse sibi persuadeat . Consulat Muratorii annales ad eum annum , consulat Langleti tabulas Chronologicas *T. I.* , consulat Maurinos auctores operis inscripti *L' Art de verifier les dates T. I.* , anno MCCIV. indictionem VII. non VI. adligatam videbit . An alia in Piceno fuit indictionum notandarum ratio ? Scio equidem varium fuisse apud varias gentes in illis adscribendis institutum ; qua de re præter Maurinos nuper appellatos , uberrime & eruditissime non multos ante annos disseruisse video Trojanum Spinellium nobilissimum virum in Epistola quadam Italica super Rogerii Siciliæ & Calabriæ comitis a. 1085. diplomate scripta . Verum Auximates , atque adeo Picenos communem indictionum percensendarum rationem servasse tam certum est , quam quod certissimum . Pannellius & ego in *Excursibus litterariis* , atque in *Anecdotis medii ævi* plures Auximates chartas adtulimus communi indictione notatas .

A. 1196. Ind. XIV. *Pann. p.* 2.
A. 1198. Indict. I. *Anecd. p.* 66. & 127.
A. 1200. Indict. II. *Anecd. p.* 128.
A. 1214. Indict. II. *Excurs. litt. p.* 264.
A. 1220. Indict. VIII. *Exc. litt. p.* 265.
A. 1296. Indict. IX. *Pann. p.* 6.
A. 1476. Indict. IX. *Pann. p.* 26.

Ac ne quis existimet , Auximates saltem a mense Septembri indictiones putasse , unde aliqua suboriri difficultas posset , animadverti velim , eamdem indictionem notari in indicatis a. 1198. Instrumentis , quorum alterum *pridie Kal. Septembris* , alterum de *mense Septembri* perscriptum fuit . Immo etiam

Spo-

Post annum 1204. *de GENTILI nulla alia reperitur mentio in ejusdem ecclesie monumentis* (8).

XVI. *LOTHARIUS Episcopus, floruit anno* 1196. (*Hic rejiciendus est post annum* 1205., *quo Henricus imperare cœpit*, *&* *obierat jam Gentilis*. LUCENT.). *Hic multa canonicis dilargitus est temporibus Henrici VI. Imperatoris* (1).

XVII. *SI-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Spoleti communes indictiones fuisse instrumentis adscriptas docet, quod in appellatis *Anecdotis medii ævi* editum fuit *p.* 247., Rainaldi Ducis Spoleti diploma datum a. 1229. indict. secunda mense Martii. Si ergo VII. indictio a. MCCIV. numerabatur, quei falsa dici potest indictio VII. Auximati ejus anni Instrumento adscripta? Invicta hæc sunt, neque ullo ingenio infringenda. Audiamus tamen quid caussæ fuerit, cur Raphaellius in paradoxam hanc de indictione VI. cum anno MCCIV. colliganda sententiam abierit. Nempe ut *ex chartula* constat *compositionis pacis inter Auximanos*, *&* *Anconitanos*, *Racanatenses &c. facta aput castrum Pulverisie*, quam non Marangonius modo, sed etiam Martorellius *p.* 81. divulgavit, anno MCCIII. Indictio quincta percensebatur. Quid? quod Ottonis IV. pro ecclesia Sancti Severini diplomi datum est *anno Domini MCCXI. octavo die intrante mense Novembri*, *indictione XIV.*. Hinc Raphaellius arguit, XX. Februarii indictionem VII. non potuisse anno 1204. in Piceno putari. Ego vero quod ad Ottonis IV. diploma spectat, oppositum potius collegissem. Revera enim a. MCCXI. communis ac pervulgata indictio XIV. erat, hinc vero ab anno MCCXI. ad MCCIV. si adscendimus, septem annos dememus, atque adeo totidem indictionum annos, ut anno MCCIV. septima fluxisse indictio dicenda sit. De *chartula* porro *compositionis* aliter judicandum. Ego in *Excursibus litterariis p.* 259. veram ejus lectionem protuli, quæ non annum MCCIII., sed MCCII. exhibet. Enimvero locus dubitandi non est, quin hæc lectio genuina sit, etsi commate a Typographo vitiata. Ea enim data est post *mortem* Domini Henrici *Romanorum Imperatoris in Regno Siciliæ anno quinto*, *decimo quinto Kal. Februarii*. Obierat autem Henricus 28. Septembris a. 1197., porro a. 28. Septembris a. 1197. ad 18. Januarii a. 1203. non quinctus, sed sextus *post mortem Domini Henrici* putandus annus fuisset. Si ergo quinctus numerabatur, annus erat 1202., non 1203.. Age. Anno MCCII. quincta indictio decurrebat; septima igitur anno MCCIV. debuit adscribi. Hæc satis ad infirmanda Raphaellii contra legitimum Auximatium Instrumentum argumenta.

(8) Falsum id est. Exstat in Episcopali Tabulario membraneus codex *Protocollo* inscriptus, in quo hæc pag. 10. legimus. *In Dei nomine anni sunt ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quincto*, *Octobri*, *Indictione octava*, *Auximi civitate*. *Ego CASSIANUS filius quondam comitis PETRI una cum Monaldo Usreducci*, *Oradenus Enrici Corradi*, *&* *Rollandus Gregorii pro nobis &* *nostris successoribus*, *&* *pro tota communitate castri montis Sancte Marie*, *promittimus tibi dommo SYNIBALDO potestati Auximi*, *&* *vobis domino GENTILI Episcopo &c. dare &* *deferre annuatim omni anno in festo S. LEOPARDI unum pallium de seta valens quadraginta solidos lucensis monete*.

(1) Quæ ad hunc LOTHARIUM spectant, tenebris ita obvoluta sunt, ut quid de illo statuam, ignorem plane. Zacchius in meo MS. exemplo hæc

de

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

de illo habet: *LOTHARIUS fuit postea anno MXCIIII.* (in exemplo nobilissimi Comitis Aurelii Guarnerii inter notam M & ceteras XCIIII. inscriptum *centum* vidit P. Maronius) *tempore Clementis Papæ III.* (numerales hæ notæ in aliis MSS. exemplis omittuntur ; sed ab ipso Zacchio profectas esse suadet, quod & aliis Pontificibus fere semper adscriptas invenerim) , *& Henrici Imperatoris. Is donavit Canonicæ castrum Rodoviani cum ecclesia , & ecclesiam S. MARIÆ Papiani* (*Popiani* Guarnerianum exemplum habet) , *& S. Dionysii* , *&* (forte *cum*) *centum modiolis terræ*. Jam vero tam insipientem fuisse Zacchium, ut quum in aliis hujusce Catalogi locis annos Incarnationis Dominicæ cum Pontificibus & Imperatoribus recte conjungat, annum MXCIIII. Clementis III., seu potius Cælestini, ut dicam, Pontificatui, & Henrici imperio respondere adfirmarit, minime credam. Itaque nullus dubito, additam ab ipso Zacchio numeralem aliam notam C, quæ a librariis omissa fuerit. Unde autem Ughellius annum MCXCVI. hauserit, divinando non sum. At hic Rhodus, hic saltus. Anno MCXCVI., aut MCXCIV. GENTILIS Episcopus erat; quei ergo LOTHARIUS eo floruisse tempore dicitur? Lucentius ut nodum solveret, LOTHARIUM rejici jubet post annum MCCV., quo Henricus imperare cœpit, & obierat jam GENTILIS; at eo anno neque Henricus imperare cœpit, qui 28. Septembris anni MCXCVII. Messanæ diem extremum obierat, neque Clementi III., aut alteri ejus nominis Pontifici locus. Quid ergo?

Audiamus quæ Cl. Maronius conjecerit. Annum ille MXCIIII. in Zacchianis, quæ habemus, exemplis adscriptum adripit: *quamvis autem*, inquit *p.28.*, *hoc anno fuerit quidem Henricus IV. Imperator, nullus vero Clementis nomine summus Pontifex, nihilominus Lotharium illum hic innui posse crediderim, qui cum anno viveret* 1070., *ut supra vidimus, nihil in serie est impedimento, quominus potuerit vitam producere ad annum* 1094.. *Illud enim animadverto, donatos ab eo dici Canonicos castello* Rodoviani *cum centum terræ jugeribus. Quid, si castellum hoc illud idem* Ajani oppidum *foret, quod cum* pertinentiis suis *Lothario illi, & ecclesiæ Sancti Leopardi Adelbertus, & Adelberga conjuges donaverunt anno* 1082., *ut supra narravimus*, Ajano *fortasse in* Rodovianum, *vel* Rodoviano *in* Ajanum *ex scribentis incuria male traductum?* Hactenus vir egregius, cujus in conjecturis ferendis ingenium solertiamque satis laudare non possum. At quum animadverto, Zacchium LOTHARII non meminisse solum post GENTILEM, sed diserte addere, LOTHARIUS *fuit* POSTEA, non video, quei Zacchius de anno MXCIIII. cogitasse dicendus sit. Multum quoque, nisi si perspecta ratio cogit, a sollicitandis locorum nominibus abhorreo: quid enim *Rodoviano* cum *Ajano* commune? quum tamen, ut mendum in *Rodoviani* nomine cubare demus, Critici moneant, in emendandis locis errori ipsi inhærendum, & in illo veræ lectionis vestigia esse quærenda.

Dicam igitur quod sentio. Zacchius a.MCXCIII. tempore Cœlestini III. floruisse GENTILEM dixerat; addit deinde: *LOTHARIUS fuit postea anno MXCIIII.*. Clarum est ergo, non solum addendam esse numeralem notam C, sed & quæ sequuntur, *tempore Clementis Papæ III.*, sic refingenda: *tempore Cœlestini Papæ III.*; nec dubito quin Zacchius ipse hæc scripserit, nisi forte aliud cogitans pro *Cœlestino Clementem* notarit; aut prima littera C, quam librarii deinde *Clementis* interpretati perperam sint, nomen Pontificis designarit. LOTHARIUM ergo dum GENTILIS Episcopus esset, ab Henricianis in Auximatem sedem intrusum suspicor sub finem anni MCXCIIII. Cœlestino III. summo Pontifice, & Henrico VI. imperante. GENTILEM *timore Imperatoris*

Ro-

XVII. *SINIBALDUS de Sinibaldis, Præsul quondam Auximatibus jus divinum dixit* (1).

XVIII. *RA-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Romam fugisse, & duobus, antequam illuc se conferret, annis ablata ab Henricianis fuisse Auximati sedi prædia non pauca, juraque certum est ex Cingulano monumento, quod Ughellius superius reddidit, nosque emendavimus. Neque id mirum, quot enim turbas in Marchia Anconitana, quam Henricus Marcualdo nefario homini, & in Ecclesiam perduelli administrandam tradiderat, civerint Henriciani, ex Annalibus ecclesiasticis compertum est. Tunc vero temporis Marcualdum, quum GENTILEM pro Pontifice stare intellexisset, quo in Romanam Ecclesiam infenso animo erat, de eo deturbando cogitasse, ac LOTHARIO ecclesiam S. LEOPARDI detulisse verosimillimum est. Neque minus probabile, LOTHARIUM, ut Canonicos sibi devinciret, donasse *Canonicæ castrum Rodoviani* &c., quod propterea aliud a castro *Ajani* esse debuit; neque enim quæ Episcopalis juris essent & ecclesiæ suæ, ad Canonicos transtulisset, ne odium potius, quam benevolentiam sibi conciliaret. Fortasse tamen post GENTILIS obitum legitimus habitus est Episcopus, Canonicorum novo adcedente consensu.

(1) Anno MCCXVIII., si Zacchio credimus. Sed anno MCCXXIV. certe Auximati ecclesiæ SINIBALDUS præerat. In membranaceo Episcopalis Archivi codice, quem sæpius appellavi, *pag.* 22. *tergo*, hæc exstant: *In Dei nomine, Amen. Anno Domini MCCXXIV. die X. exeunte mense Januario per Indictionem XII. tempore D. Friderici Serenissimi Romanorum Imperatoris ego quidem SENEBALDUS AUXIMANUS EPISCOPUS &c. mea bona voluntate recipienti & stipulanti pro ecclesia & Episcopatu S. LEOPARDI, & pro me confiteor, clamo me bene esse pacatum, quietum, atque solutum a vobis D. Thoma de Labro potestate Auximi, & Laurentio Monaldi ejusdem civitatis camerario de centum & septuaginta libris &c.*

Ad SINIBALDUM nostrum, non, ut putavit P. Sbaralea, ad ejus successorem litteras dedit idibus Martii a. MCCXXXIII. Gregorius IX. pro Fratribus Tertii ordinis, qui *Continentes* appellabantur, etiam a Cl. Pannellio recitatas *p. XXXV. in Præfat. ad Acta S. Benvenuti*; quæ libro meo nondum typis commisso prodiisse in lucem summopere mihi gratulor, quum ex iis proficere me posse intelligam. Sed & alia ad SINIBALDUM pertinentia docet charta anni MCCLXV., quam ex Archivo Episcopali descripsi *Diss. IV.* §.II. *num.VI.*. Huc etiam spectat, quod anno 1266. 21. Junii, ut in eodem MS. libro legitur, *Frater Compagnus vice & nomine dominarum monasterii ecclesiæ S. Jacobi de Cingulo restituit* S. Benvenuto *unam virgam ossis eburnei, quam dicebat fuisse Domini SENEBALDI quondam Episcopi*. Quærit autem, quem nuper memorabam, Pannellius, quamdiu SINIBALDUS Auximatem rexerit ecclesiam, ac verisimili sane conjectura colligit, eum anno MCCXL. episcopatu Auximano (quidni & vita?) fuisse defunctum. Nempe in Archivo Auximanæ civitatis charta adservatur a. MCCLXXIV., ubi hæc leguntur: *Dopnus Angelus de S. Michaele de Cerreto comitatus Esij testis interrogatus &c. respondit, quod sic. Interrogatus quomodo scit, dixit bene, quia vidit, & presens fuit quando episcopus SYNIBALDUS civitatis Auximi venit ad castrum Arcionis ..... cresimando pueros, & vidit quendam suum bajulum nomine Adamectum stare in dicto castro pro dicto Episcopo*. Idem porro Angelus de tempore, quo res ab ipso confirmatæ contigerant, interrogatus dixit, *quod sunt circiter XXXV. anni*. Quare quum

anno

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

anno MCCLXXIV. si annos demimus quinque & triginta, in annum incidamus MCCXXXIX., ad hunc saltem annum SINIBALDUS episcopali apud Auximates munere fungebatur. Præterea RAYNALDUS SINIBALDI successor *pauco tempore moratus fuisse* dicitur ab Abbate monasterii S. Victoris Simone in eo, quod nuper appellabam, a. MCCLXV. instrumento. Quum ergo sub anni MCCXL. finem Gregorius IX. Auximates Episcopalis cathedræ honore privarit, probabile admodum est, SINIBALDUM ipso illo anno MCCXL. vita cessisse, illique RAYNALDUM suffectum. Quorum monumentorum copia quum P. Maronio non fuerit, suspicatus est *p.* 29. alium ab eo non esse hunc SINIBALDUM, qui BERARDO in hac sede sæculo XIV. suffectus fuit. Sed quum ex hisce tabulis constet, SINIBALDUM a. MCCXXIV. Auximatibus jus divinum dixisse, quo fere tempore inter Auximates Canonicos fuisse videtur S. Sylvester Guzzolinius, vereor ne SINIBALDUS is fuerit Episcopus, de quo hæc in ejus Sancti vita MS. apud Franciscum Nobili Leopardi, lib. I. cap. III.: *Per idem tempus Episcopus quidam præerat Auximanæ ecclesiæ, qui quod minus recte vitam suam institueret, non æque oves exemplo ac verbo pascere conabatur, eum permodeste commonefacere zelo caritatis incensus Sylvester (jam Canonicus) non desistebat. Ille vero salutaria monita, non ut amici munera, sed ut hostis jacula ferientis excipere videbatur: cumque Sylvestri conciones præ suis populo probari sentiret, invidentia flagrans eniti cœpit per summam injuriam, ut Canonicatus honore ac munere spoliaretur. Porro ejus indignationem & injurias æquo animo tulit Sylvester, omnesque vires suas intendit, ut & miserum Episcopum in viam, unde aberrare videbatur, exemplo & oratione reduceret, & ejusdem tamen existimationem apud alios dignitatemque tueretur.* Quis hujus vitæ auctor fuerit, discimus ex titulo. *Vita Beati Sylvestri Guzzolini Auximani Congreg. Monachor. Sylvestrinorum Fundatoris, descripta primum a R. D. Andrea Bartoli Fabrianensi* (hunc scriptorem ignoravit Cl. Mazzuchellius), *nunc demum illustrata in tres libros divisa opera R. D. Hyppoliti Vincioli Perusini ejusdem Congreg. Monachi.* Vinciolus opus suum *Illustriss. ac Reverendiss. D.* Antonio Mariæ Gallo Auximano S. R. E. *Cardinali amplissimo, ac Sylvestrinæ Congregationis patrono optimo* litteris hisce inscripsit. *Cum vitam patris nostri Sylvestri affinis tui, Card. amplissime, te auctore haud ita pridem inchoatam, nunc demum utcumque perfectam, in lucem edere statuissem, tuis illam auspiciis, cujus tutelæ omnes res nostræ commissæ sunt, divulgandam putavi. Multum hæc nostra Religio Auximanæ civitati debebat; multum Guzzolinæ familiæ, ex qua Sylvestrum parentem habuit, ac fundatorem; eadem nunc tibi aliqua ex parte satisfacere visa est, si gratiarum loco eundem Sylvestrum in hac quasi tabula adumbratum certe, si non expressum, tibi, qui nobilissimus es civitatis illius, ac familiæ caput, Cardinalis amplissime, restitueret. Ego vero cui potius ejusdem Sylvestri res gestas in hos tres libros conjectas, quam tibi dicarem? a quo permulta sunt in me beneficia profecta, quique eundem sanctissimum virum magna cum laude sectaris. Huc accedit, quod cum me meaque omnia tibi jam antea tradidissem, jure id optimo postulare posse videbaris. Itaque te oro, Card. Amplis., etiam atque etiam, ut a te antea susceptum mei patrocinium retineas, quo ego fretus, nec temerarios obstrepentium hæreticorum conatus pertimescam, nec verebor in posterum præclara quæque suscipere: quam mihi mentem peto, ut & Deus benigno afflatu, & tu, Galle Illustris., tuis auspiciis diutissime secundes. Vale. Ex ædibus nostris sancti Fortunati de Perusia. Die decima mensis Martii* 1599.

Servus humillimus

D. Hyppolitus Vinciolus Perusinus

Porro ex præfatione discimus, Andream Jacobi (qui nempe *Bartoli* supra cognomine appellabatur, heic *Jacobi* dicitur, ut puto, filius) S. Sylvestro temporum æqualem fuisse.

XVIII. *RAMERIUS* (1) *SINIBALDO successit. Post quem cum Auximates contra sedem Apostolicam impie rebellassent, in pœnam ausus diu suo Præsule viduata illa ecclesia est, donec Urbanus IV. Pontifex ovium destitutarum pastore miseratus, ibidem denuo sedem Episcopalem mandavit figendam. Interim RAMERIUS ad novam Cathedralem Recanatensem translatus a Gregorio IX. anno* 1241., *eidemque scribit* Episcopo quondam Auximano, nunc Recanatensi, 16. *Kal. Febr. an.* 14. ep. 223. f. 28. reg. Vat. (2).

XIX. *S. BENVENUTUS de Scotivolis Anconitanus* (1), *cum Anconitanæ ecclesiæ Archidiaconatus munere fungeretur, ab Urbano IV.* (2) *Pontifice Auximanæ ecclesiæ administrator effectus est anno* 1263. 4. *id. Maji* (3), *deinde ab eodem Pontifice, post*

K

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) *Rainerius* Martorellio, *Rainerius* Zacchio. Verum SINIBALDI successor non hoc, sed RAYNALDI nomine designabatur, quemadmodum ex charta discimus a. MCCLXV. a me reddita *Diss. IV.* §. *II. num. VI.*. Suspicatus quidem initio fueram, RAYNALDUM SINIBALDO, RAYNALDO *Rainerium* fuisse suffectum. Verum id paucorum mensium a SINIBALDI obitu ad Auximatis Episcopatus translationem a Gregorio IX. mandatam elapsorum angustiæ vix ferunt: nec Simon Abbas, qui RAYNALDI meminit, *Rainerium*, si quis fuisset, dubio procul præteriisset.

(2) Vide Dissertationem III.

Inter *Rainerium* & S. BENVENUTUM Martorellius *Johannem* quemdam Archiepiscopum Messanensem notat, insigni sane errore, ab anno enim MCCXLI., quo Gregorius IX. Auximatibus indignatus Episcopalem eorum sedem Recinetum transtulit, ad annum MCCLXIV., quo Urbanus IV. in reddita illis sede S. BENVENUTUM collocavit, nullus Auximi Episcopus esse potuit. *Johannes* tamen Messanensis eam ecclesiam hoc tempore *Administratoris* nomine aliquamdiu rexit. In monumento a. MCCLXVI., quod in membranaceo Episcopalis Archivi libro exstat *p.* 99. *tergo*, memoratur *Dominus Taddeus Archipresbyter Pipernensis, Vicarius in Episcopatu Auximi per D. Johannem Archiepiscopum Messanensem*, qui in alio Instrumento *p.* 106. *quondam procurator ecclesiæ Auximanæ*, & in publicis tabulis anni MCCLXVIII. *Rector Episcopatus prædicti* dicitur. De *Johanne* consule eruditum Pannellium in libro inscripto *Memorie di S. Benvenuto p.* 13. *seq. in notis*.

(1) Patre Johanne.

(2) Immo ab Alexandro IV., si Wadingum audimus *ad ann. MCCLXXVI. num. IV.*, qui tamen a Baldio deceptus fuit, ut observat idem Pannellius *p.* 14.

(3) Duo indicabo instrumenta in Codice membranaceo Episcopalis Archivi descripta, in quibus BENVENUTI *Administratoris* mentio fit. Primum spectat ad 24. Septembris hujus anni MCCLXIII., atque in eo hæc leguntur: *D. Benvenutus Abbas monasterii ecclesie S. Florentii, & magister Dominicus Continens &c. syndici, procuratores &c. Ven. P. D. BENVENUTI Archidiaconi Anconitani, Capellani D. Pape, regimen, curam, & administrationem ecclesie in spi-*

post diuturnam vacationem ejusdem ecclesiæ declaratus Episcopus, Rector Anconitanæ Marchiæ. Scripsit Urbanus Capitulo Auximano commendans BENVENJTUM a se consecratum in Episcopum Auximanum, cum eidem civitati Episcopalem dignitatem restituisset. En epistola (a).

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilectis filiis Clero Civitatis, & diœcesis Auximanæ salutem & Apostolicam benedictionem (b).

„ R*ECti statera judicii æquo tunc examine temperatur, cum*
„ *digna virtutibus præmia, & congrua vitiis stipendia*
„ *recompensat; sic enim quibuscumque* (c) *quod suum est ex*
„ *ordine reddente justitia, obsequiis videlicet gratiam, & in-*
„ *juriis talionem, ad bene merendum lentos promovent exempla*
„ *mercedum, & in delicta pronos interdum ab incentivo pravæ*
„ *similitudinis metus cobibet ultionis. Olim siquidem erga cives*
„ *Auximanos, & incolas castri Recaneti* (d) *Humanatæ* (e)
„ *diœces.* (f) *Apostolica sedes eorum mater, & Domina spiri-*
„ *tualiter* (g) *hujusmodi utens judicii æquitate, quia iidem ci-*
„ *ves indevotionis, & rebellionis assumpserant spiritum contra*
„ *illam, civitatem eorum Episcopali dignitate privavit, ac* (h)
„ *cum*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

in spiritualibus, & temporalibus mandato d. D. Pape gerentis, & dicte ecclesie vice, & nomine dicti Domini, & ecclesie dicte ceperunt tenutam & corporalem possessionem bonorum existentium in territorio, quod hodie est Cinguli. Alterum die VII. Novembris notatum hujusmodi est. *Ven. P. domnus BENVENUTUS Archidiaconus Anconitanus, Capellanus D. Pape, regimen, curam, & administrationem ecclesie in spiritualibus, & temporalibus mandato D. Pape gerens, cassavit, revocavit, & irritavit, & nullas pronunciavit omnes sententias excommunicationum, suspensionum, interdictorum, & privacionum officiorum vel beneficiorum prolatas olim per Ven. P. D. Fratrem Johannem Archiepiscopum Messanensem in ecclesia Auximana, vel aliquem ejus nuncium, vicarium, seu procuratorem .... predicte sententie nullius valoris ac momenti deinceps existant. Actum Auximi in dicta ecclesia Episcopatus Auximi &c.*

(*a*) Quam cum duobus antiquis exemplis contuli. (*b*) In utroque exemplo hæc *Dilectis &c.* omittuntur; contra hæc leguntur: *ad presentium notitiam, & eternam memoriam futurorum.* (*c*) *quibusque.* (*d*) *Recanatensis.* (*e*) *Numanatis*, & sic infra. (*f*) *diocesis*, & sic infra. (*g*) *specialis.* (*h*) *ac eam.* (*i*) *co-*

„ *cum tota diœcesi sua ad castrum prædictum , cujus tunc inco-*
„ *læ dictæ sedis erant devoti , transtulit , civitatem ipsam , &*
„ *ecclesiam Auxim. Ven. fratri nostro Episcopo , & ecclesiæ Hu-*
„ *manaten. in recompensatione dicti castri , quod Humanatæ Diœc.*
„ *tunc erat , in spiritualibus submittendo . Porro prædicti cives in-*
„ *devotionis , & rebellionis notam per humilem , promptam , &*
„ *devotam obedientiam , & multa grataque obsequia modernis*
„ *temporibus expiarunt ; nam pro tuendis ejusdem sedis juribus ,*
„ *& honore , ac patriæ libertate pugnantes , gravia rerum damna ,*
„ *& personarum sustinuere pericula , & quasi quotidie* (i) *su-*
„ *stinent illata eis ab ipsius sedis persecutoribus , & filiis inde-*
„ *votis . Dicti vero incolæ in sensum dati reprobum , Dei , &*
„ *ejusdem sedis reverentia , & timore postpositis , & ad rebel-*
„ *lionis superbiam spiritu obfirmato , persecutori sedis ejusdem*
„ *contra eam ipsiusque fideles damnabiliter adhærere præsumunt .*
„ *Propter quod tanquam accepti a præfata sede beneficii imme-*
„ *mores & ingrati reddiderunt facta sibi hujusmodi gratia se*
„ *indignos , meritoque privandos . Idque itaque nos & fratres no-*
„ *stri provide attendentes , & considerantes prudenter , quod fa-*
„ *vorem devotio promeretur , quodque urgendi sunt impugnato-*
„ *res Ecclesiæ condignæ punctionis* (k) *aculeis , ut si existat*
„ *possibile , a sua resileant* (l) *pravitate , atque ad studium de-*
„ *votionis debitæ , vitæque laudabilis se convertant , prædictum*
„ *castrum , & ipsius homines propter indevotionem , & ingrati-*
„ *tudinem eorumdem perpetuo de ipsorum fratrum consilio , &*
„ *Apostolicæ plenitudine potestatis supradicta episcopali dignitate*
„ *privavimus , eamque dignitatem , non obstantibus privatione ,*
„ *ac summissione præmissis , civitati eidem plenarie , dictæque*
„ *Auximanæ ecclesiæ suam diœcesim integre prædictorum civium*
„ *exigentibus meritis restituimus , prout eas habuerunt ab anti-*
„ *quo , civit. ipsam , & habitatores ejus , & prædictam Auxi-*
„ *manam ecclesiam ab omni jurisdictione prædictorum Episcopi ,*
„ *& ecclesiæ Humanaten. penitus eximendo . Cæterum* (m) *vo-*

 „ *lentes*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(*i*) *cotidie* . (*k*) *punitionis* . (*l*) *resiliant* . (*m*) Quæ sequuntur ad extrema verba *inviolabiliter observari* , omittuntur in uno exemplo . Clauditur autem consueta formula ; *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre restitutionis & exemptionis infringere , vel ei ausu temerario contraire . Si quis autem hoc attemptare presumpserit , indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri , & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum . Datum &c.* (*n*) &

„ *lentes regimen ipsius ecclesiæ Auximanæ tali per Apostolicam*
„ *providentiam committi personæ, quæ tanto congrueret oneri,*
„ *& bonori, dilectum filium BENVENUTUM Auximanum ele-*
„ *ctum, tunc capellanum nostrum, Archidiaconum* (n) *Anconi-*
„ *tanum, moribus, & vita conspicuum, literali scientia prædi-*
„ *tum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circum-*
„ *spectum, virum utique secundum cor nostrum, ipsi ecclesiæ*
„ *Auximanæ de prædictorum fratrum consilio in Episcopum præ-*
„ *fecimus, & pastorem, firmam spem, fiduciamque tenentes,*
„ *quod per suam industriam, divina præcedente gratia, & fa-*
„ *vore Apostolico subsequente, commissa sibi sæpedicta Auxima-*
„ *na ecclesia spiritualibus, & temporalibus proficere incrementis,*
„ *& memorata civitas in statu reformari prospero, & in devotio-*
„ *ne, ac fidelitate dictæ sedis valeat roborari. Quocirca univer-*
„ *sitatem vestram monemus, & bortamur attente, per Apostolica*
„ *vobis scripta mandantes, quatenus* (o) *eundem electum, tan-*
„ *quam patrem, & pastorem animarum vestrarum devote susci-*
„ *pientes, obedientiam sibi, & reverentiam debitam impendatis,*
„ *ipsius salutaribus monitis, & mandatis humiliter intendendo.*
„ *Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ra-*
„ *tam babebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad sa-*
„ *tisfactionem condignam inviolabiliter observari.*

„ *Datum apud Urbem Veterem* 3. *Kal.* (p) *Martii* (4) *Pon-*
„ *tif. nostri anno* 3.

Hujusmodi epistola est 183. *in ordine* fol. 55. regest. Vat., *cujus etiam originale exstat in Archivo Auxim.. Tanta vivens per* 20. *propemodum annos vitæ sanctimonia fulsit, ut multis in vita, atque post mortem miraculis claruerit* (5). *Ad gaudia Beatorum raptus est die* 22. *mensis Martii, circa annum* 1286., (6) *se-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(*n*) *& Archidiaconum*. (*o*) *quatinus*. (*p*) *Idus*, ut etiam est apud Martorellium *p.* 129., qui ex nostris hisce Ughelliani exempli correctionibus emendari & ipse poterit.

(4) In vetere Ughellii editione legitur hæc Urbani Constitutio data *II. Kal. Maji*: Apud Bollandianos vero & Martorellium, quas dedimus, chronicis notis distinguitur: *III. Idus Martii*, atque hæc lectio omnino tenenda est, ut ostendit Pannellius *p.* 19.

(5) In Episcopali Archivo plurima emphiteutica S. BENVENUTI instrumenta servantur, idque genus chartæ, quæ ad ejus illustrandam historiam faciunt. Pauca præter ea, quæ in Dissertationibus reddidi, heic adscribam, quæ Episcopi dignitatem, jura, munus propius adtingunt. *MCCLXVIII.*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

MCCLXVIII. die tertio decimo mensis Februarii undecima indictione. Ven. P. D. Manfredus Veronensis electus Marchiæ Anconit., Ducatus Spoleti, & Masse Trabarie rector ex officio suo & auctorit. Rom. Eccles. commisit & delegavit D. Jordano canonico plebis terre de Monticulo presenti inquisiciones diligentes faciendas de bonis, possessionibus, juribus, & jurisdictionibus spiritualibus, & temporalibus V. P. D. Episcopi Auximani, & ecclesie Episcopatus Auximi, & mense Episcopalis, & ad ipsos d... Episcopum, ecclesiam Auxim., & mensam Episcopalem pertinentibus, ubicumque sunt, & a quibuscumque detinentur, & ea, que ad eos, ut dictum est, invenerit pertinere, ad possessionem, jus, & proprietatem eorum studeat revocare, & fine debito terminare, contradictores & rebelles cogendo spiritualiter, & temporaliter omni cohertione, qua viderit expedire. Actum Auximi in camera Episcopatus ipsius, present. magistro Egidio de Spoleto notario, Symone Senescalco, Johannino de Placentia domicellis & familiaribus dicti domini Manfredi, & domino Bartholuccio Pauli jud. de Auximo.

Ex membranaceo codice, quem *Protocollo* inscriptum alias diximus, *p.* 71., Manfredus, qui heic nominatur, Veronensis electus ab anno MCCLXII. quinta decurrente Indictione *Ducatus Spoletani, & Marchie Anconitane Rector, & Capitaneus generalis erat*, eoque anno pridie Kal. Decembris Auximi quum esset, Auximates absolvit a crimine, quod *Manfredo quondam Principi Tarentino* adhærentes admiserant, variasque institutiones, & eas præsertim, quæ *contra usurarios* editæ fuerant, *quatenus sine pravitate sunt condite, confirmavit*. Atque hanc Manfredi sententiam Urbanus IV. data *apud Urbem Veterem IV. nonas Maji Pontificatus sui anno II.* constitutione, cujus initium *Ecclesia Romana*, communivit. Hinc emendandum quod nuper in libro inscripto *: Serie Cronologica de i Vescovi, e Governatori di Verona*, ab erudito Joh. Baptista Blancolinio *pag.* 11. notatum video, Manfredum Roberti Marchiæ Anconitanæ Rectorem fuisse a. MCCLXIV. ab Urbano IV. renunciatum; nam, ut vidimus, anno MCCLXII. id muneris sustinebat.

Quæ anno MCCLXX. BENVENUTUS gesserit, dum ad visitandum S. Florentii monasterium adcederet, vidimus *Diss. IV.* §. 2.. Ceteras ejus anni Visitationes in eodem codice descriptas heic habeto.

Die quinto decimo Januarii tertia decima Indictione.

Domnus BENVENUTUS Episcopus Auximanus ivit Offaniam ad visitationem plebani, & clericorum Offanie, & convocatis dompno Anastasio plebano plebis S. Thome de Offania, & clericis ejusdem plebanatus, fecit eis sermonem, & predicavit eisdem, & mansit ibi cum sociis suis, quos ducere voluit, die predicto. In nocte jacuit ad eorum hospicium, & die sexto decimo in mane mansit ibidem, & duas comextiones recepit ab eis in sero, & mane, & prebendas de nocte pro undecim equis. Intendit Episcopus ad inquirendum de vita, statu, & conversacione ipsorum, ad reformandum, si que sunt corrigenda, & reformanda. In primis siquidem convocato, & interrogato dompno plebano Anastasio in virtute hobediencie, quod ad inquirenda respondeat veritatem.

Die sextodecimo.

Dompnus Anastasius plebanus plebis S. Thome interrogatus per domnum Conradum Judicem dicti domni Episcopi dixit, quod non habent statuta Synodalia domni Episcopi. Item dixit, quod ipse, & alii clerici dicunt officia, & horas suas, & sunt bone conversacionis, & vite. Item dixit, quod nescit aliquas possessiones ecclesiarum alienatas illicite, vel distractas. Item dixit, quod nihil dedit, nec promisit alicui pro habenda plebe dicta.

Dompnus Bartholomeus ecclesie S. Marie de Felcina interrogatus per dictum Judicem dixit, quod ipse dixit missas, & horas canonicas, sicut decet, & possessiones

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

siones ecclesie sue non alienavit illicite, nec distraxit, nec est male conversacionis, & vite. Item dixit, quod dompnus Benevenutus presbiter ecclesie S. Gregorii de Caypano minabatur plebano dicto, & ipse tunc tractavit inter eos, ut plebanus aliquid daret pro redimenda vexatione sua, demum tractatum non complevit, sed dompnus Benevenutus postea dixit sibi, quod habebat inde tantum, quod valebat plus clamide ipsius. Item dixit, quod dompnus Benevenutus est infamatus de mulieribus. Item dixit, quod dompnus Matheus ad tabernam cum potatoribus usus fuit hoc preterito in estate.

Quia dompnus Benevenutus dicebat, quod plebanus promiserat sibi communicare introitus & proventus plebis, & domnus Benevenutus promiserat plebano communicare redditus, & proventus ecclesie S. Gregorii, & plebanus negabat, & dompnus Benevenutus dixerat sibi tunc quod hoc sciebat Thomas Filippi, & ipse tunc accessit ad dictum Thomam, & interrogavit eum inde, & Thomas dixit, quod omnia erant vera, que dompnus Benevenutus dicebat.

Dompnus Benevenutus presbiter ecclesie S. Gregorii de Caypano interrogatus in virtute hobediencie per dictum judicem dixit, quod ipse dicebat cotidie horas suas, nec utitur, nec habet conversacionem cum alia muliere suspecta. Item dixit, quod tractatus fuit habitus inter se & dictum plebanum, quod plebanus deberet communicare sibi fructus & proventus plebis, & ipse dompnus Benevenutus communicaret plebano redditus, & proventus ecclesiarum suarum; item dixit quod dictus plebanus dedit sibi hoc anno, & mense preteritis viginti solidos amore Dei, & ipse dompnus Benevenutus recepit amore Dei, & non occasione tractatus predicti. Interrogatus si scit alios corrigendos de aliquo, dixit non.

Dompnus Matheus rector medietatis ecclesie Sancte Marie de Felcina interrogatus per dictum Judicem in virtute hobediencie dixit, quod ipse dicit horas suas canonicas condecenter. Item dixit, quod aliquando preterito tempore ivit ad bibendum cum aliquibus amicis suis ad locum, ubi vendebatur vinum, sed postquam fuit sibi prohibitum, non fuit usus. Item dixit, quod non habet conversacionem cum muliere suspecta, nec alienavit illicite possessiones ecclesie sue. Item dixit, quod nescit aliquos corrigendos. Item dixit audrivisse dici, quod plebanus composuit cum dompno Benevenuto predicto, & promisit ei communicare redditus & proventus plebis, & dompnus Benevenutus communicaret plebano redditus & proventus ecclesiarum suarum, & audivit, quod dompnus Benevenutus habet aliquid inde, & hoc dicitur per castrum Offanie.

Dompnus Jacobus capellanus ecclesie S. Terenciani interrogatus per dictum Judicem in virtute hobediencie si dicebat horas canonicas, sicut melius potest. Item dixit, quod non habet conversacionem cum muliere suspecta. Item dixit audrivisse dici, quod plebanus sortitur intratas plebis cum dicto dompno Benevenuto, tamen ipse nihil scit, nec vidit aliquid inde. Interrogatus si scit aliquos de aliquo vicio corrigendos, dicit, quod nescit.

Reliqua desiderantur. Hinc tamen discimus, Synodales Constitutiones fuisse a S. BENVENUTO emissas.

Ad annum MCCLXXII. XVI. Octobris hæc in ipso illo codice *p.* 88. tergo consignantur.

D. BENVENUTUS misit licentiam guardiano Fratrum Minorum de Cingulo absolvendi potestatem, consiliarios, & officiales communis Cinguli de excommunicatione lata contra eos per magistrum Raymundum Aggerii Auditorem D. Pape pro contumacia cause, quam habuit cum ipso communi. Actum Auximi in camera D. Episcopi pres. D. Corrado Aux. & magistro Dominico continente.

A. Domini MCCLXXIII. die VII. exeunte mense Februarii prima Indictione tempo-

(6) sepultusque est in Auximana Cathedrali in sepulchro marmoreo, cum hac impari viri meritis inscriptione, cujus supra memorata die Auximatibus civibus solemne festum recurrit.

S. BENVENUTUS de Scotivolis Anconitanus
Episcopus Auximanus (7).

XX. BE-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

tempore domni Gregorii PP. decimi Ven. Pat. D. B. Dei gratia Episc. Auximan. in majori ecclesia Auximana in festo Cathedre Beati Petri convocato clero & populo Auximano in dicta ecclesia ad misse solennia solenniter congregato in predicatione inhibuit, & contradixit, quod ne quis abbas, prior, vel decanus, rector, aut capellanus alicujus ejus ecclesie vendat, tradat, donet, obliget, vel cambiet, vel infeudet, vel per alicujus alienationis modum transferat modo aliquo aliquid de possessionibus, & juribus alicujus ecclesie absque expressa licentia, & consensu ipsius domini Episcopi, nec aliquis laycus vel secularis contrahat cum eis in omnibus supradictis, vel aliquo predictorum, & si quis clericus vel laycus, abbas vel prior, rector aut capellanus, vel quocumque modo dici contingat, contra predicta vel aliquod predictorum aliquid attemptaverit, ex nunc ita quod ex tunc revocavit & decrevit irritum & inane.

Actum in predicta majori ecclesia Auximana present. donno Morico, donno Rainutio &c.

(6) MCCLXXVI. S. BENVENUTUM obiisse scribit Wadingus, sed cum Ughellius, tum Wadingus errat. Mortuum esse S. BENVENUTUM die Martii XXII. constans est omnium scriptorum sententia; quum ergo in citato membranaceo codice *p.* 210. emphiteuticum S. BENVENUTI instrumentum habeamus a. MCCLXXXII. 20. Novembris perscriptum, certum est illum non ante annum MCCLXXXIII. vita functum fuisse. Sed BERARDUS sub finem Martii ejus anni Episcopatum Auximatem jam obtinuerat, ut mox dicemus. Itaque S. BENVENUTI mors in annum MCCLXXXIII., diemque Martii XXII. conferenda omnino est. Hæc scripseram, quum in P. Maronii commentarium incidi, ubi *p.* 35. monumentum indicatur confectum die Martii 10. anni MCCLXXXIII. *Sancto BENVENUTO adhuc Episcopo*, unde mea, quæ & eruditi illius viri est, sententia confirmatur.

(7) *Sed dum ob crebra miracula* (inquit Wadingus ad annum MCCLXXVI. *T. V. Annal. Rom. edit.* 1733. p. 4.) *sanctum virum cœlitum numero adscripsit Martinus IV., & Auximates inferiori loco sub arca altare construxerunt, sanctum cadaver ob humilitatem & reverentiam erga corpus Christi in altari immolandum, relicta excelsa arca, inventum est in marmoreo pavimento inter columnas, suo tamen loco repositum. Dum secundo & tertio inveniretur in terra, intellexerunt Auximates, noluisse humilem Dei servum corruptibile suum cadaver vivifico Christi corpori præeminere, sed subesse. Quare condito alio sepulcro, sub ipsa ara sanctum pignus commendarunt, relicto in rei memoriam & splendorem priori mausoleo. Requievit hoc in loco usque ad annum MDXC., quo eum cum magna solemnitate transferri curavit Theodosius Florentius Episcopus Auximanus ad novum sepulcrum, a se splendide præparatum in ecclesia inferiori ab eodem constructa pro sepeliendis illius ecclesiæ præsulibus. Additum hoc cænotaphium novo sepulcro.*" Sancti BEN„ VENUTI corpus ex superiori templo ad venerabiliorem cultum Theodo„ sius Florentius Episcopus Auximanus huc transferendum curavit anno Do„ mini M. D. XC. die XI. mensis Julii. Pontifice SIXTO V.„. Pannellius in mo-

XX. *BERARDUS de BERARDIS Italus e Callio, cum a Calliano Clericali Senatu in alterius contentione electus fuisset Episcopus, tertioque electo, neutrum illorum probasset Pontifex Romanus, demum a Martino IV., cum Auximana vacasset ecclesia, a capitulo postulatus, ejusdem fuit Episcopus declaratus. Anno* 1286. 15. *Kal. Februarii* (1) *BENVENUTO successit*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

in monumentis S. LEOPARDI p. 68. antiquam Collectam exhibet, quæ Auximi in sancti Antistitis honorem olim recitabatur. Ea est hujusmodi.

Deus, qui miraculorum fulgore Beati BENVENUTI confessoris tui atque Pontificis gloriosa merita declarasti, concede propitius, ut ejus precibus, & meritis a periculis mentis, & corporis liberemur, & ad vitam perveniamus æternam. Per Dominum &c.

At quid est quod Wadingus suis in Annalibus BENVENUTI meminerit? Nimirum narrat is BENVENUTUM ante *admissam dignitatem vota emisisse Minorum, & deinceps perpetuo eorumdem vestem palam gestasse, quam adhuc videre est inter sacras reliquias Auximatis ecclesiæ.* Enimvero in tabulario Affisiate non ita pridem Crux quædam argentea inventa est, de qua in perantiquo indice scripta hæc sunt: *quam misit FRATER Benvenutus Episcopus Auximanus.* Cur ergo factum, ut contra receptum morem nec BENVENUTUS se umquam tot in instrumentis, quæ supersunt, *Fratrem* appellarit, nec alius eo illum nomine distinxerit? Quia, inquiunt Canonicus Giudici, & P. Maronius, *Ordinis tertii fuit, ejus scilicet, cui familiarissimum tunc temporis erat adscribi Imperatoribus, Regibus, Cardinalibus, Episcopis, aliisque.* Num id ad explicandum *Fratris* titulum, quo BENVENUTUS in eo indiculo designatur, satis sit adcommodatum, PP. Franciscani, quorum interest, dijudicabunt.

(1) *Vel obiisse dicendus est BENVENUTUS ante an.* 1286. 22. *Martii, vel certe error est in assignata die, & ann.* 15. *Kal. Feb.* 1286. *male desumptis ex Reg. Vat. in Ughello. Omnis difficultas enodatur inspecta apud ipsum Ughellum* tom. 2. in Calliensibus *epistola Honorii IV., qui in ipso limine Pontificatus, an. videlicet* 1285., *scribens populo Calliensi, cum ipsi novum Episcopum attribuit, BERARDUM memorat uti jam a prædecessore Martino evectum ad Episcopatum Auximanum; annus tantum corrigatur obitus BENVENUTI, & inde annus BERARDI se accommodet præfatis Honorii literis.* LUCENT.. Certum est a die XXVII. Martii anni MCCLXXXIII. fuisse BERARDUM Auximatem Episcopum, eo enim die dicitur *Episcopus ecclesiæ* S. LEOPARDI in emphiteusis monumento, quod exstat in sæpius citato Archivi Episcopalis codice membranaceo. Quare quum S. BENVENUTUS die XXII. ejusdem mensis ad superos commigrarit, *Johanni*, quem BENVENUTO Zacchius, Martorellius, & Pannellius suffectum ajunt, locus reliquus non est.

Illud enodandum superest, quei BERARDUS quinque post BENVENUTI obitum diebus Auximatium Episcopus non modo renunciatus fuerit, sed & Auximi Episcopali auctoritate fungeretur. P. Maronius, cui unum monumentum notum fuit 6. Aprilis a BERARDO confectum, & a me in appellato codice *p.* 211. jam olim descriptum, quum sibi objecisset, mirum fortasse videri posse, BERARDUM intra sexdecim ab obitu S. BENVENUTI dies habitum jam, dictumque Episcopum Auximatem, respondet his verbis *p.* 35. *Rem*

cessit ex reg. Vat. ep. 80. fol. 70. an. 2., *qui cum esset vir nobilis, magnanimusque, ea adortus est, quæ suam munificentiam viderentur decere. Quippe a fundamentis Episcopale erexit palatium sumptuoso opere, inque Monte Forti alterum ædificavit ad successorum delicias, eaque commoratione adeo delectatus est, ut, Storacho, Tornazanoque castellis Auximatibus divenditis civibus, Montis Fortis villam perfecerit, attribueritque munificentissime successoribus. Multis variisque muneribus pro Apostolica sede functus est, in quibus dexteritatem suam plerisque consultissimis viris probavit. Quamobrem a Nicolao IV. creatus fuit Episcopus Card. Prænestinus anno* 1289., " *decessitque* 1291. *mense Ju-*
„ *nio prope Spoletum, cum a legatione Sicula rediret. Alphon-*
„ *sus Ciaconius hunc Cardinalem natione Gallum fuisse nar-*
„ *rat; sed erroris convincitur, quod cum de Callio legere de-*
„ *buisset, de Gallia corruptissime legit in bulla, ubi hic Præ-*
„ *sul reperitur subscriptus; revera enim de Callio est e gente*
„ *Berarda, suæque patriæ aliquando canonicus* (2).

L XXI. *MO-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Rem fateor non ita frequentem, quæ tamen nec fidem superat, nec caret exemplis. Quandoquidem BERARDUS cum Raynaldo, ut supra innuimus, de Calliensi Pontificatu accerrime contendebat, probabilissimum censeo tunc in Urbe Veteri deguisse apud Martinum IV., ut apud eum Summum Pontificem illic a sui Pontificatus exordio commorantem suam caussam urgeret. Cur itaque non potuit fieri, ut, BENVENUTI obitu accepto, ad sedandas Callienses turbas Martinus BERARDUM a multo jam tempore sibi cognitum pro Calliensi Auximana statim infula decoraret? Verum ut id satis esset difficultati omni amoliendæ, si VI. tantum Aprilis die BERARDUM Pontificali apud Auximates munere functum videremus, non sufficit certe, quum quinque tantum a S. BENVENUTI morte diebus BERARDUM habeamus sacerrimum officium Auximi sustinentem. Id unum ergo restat, quod ibidem Maronius subobscure significat, BERARDUM, aut qui BERARDI rebus studebant in aula summi Pontificis, ut audiverunt BENVENUTUM morbo laborantem exstremo, egisse cum summo Pontifice, ut BERARDUM consecratum Episcopum suprema auctoritate ad Auximates mitteret, futurum BENVENUTO defuncto eorum Episcopum. Errores aliquot in Annalibus Calliensibus a Bricchio admissos, quod ad BERARDI electionem spectat, recenset, refellitque eruditus Pannellius *in Actis S. BENVENUTI p. 75.*

(2) Libet autem ex Annalibus Camaldulensibus in *Appendice Tomi V. col.* 278. BERARDI nostri etiamtum Auximani Episcopi litteras heic adscribere. Eæ sunt hujusmodi.

BERARDUS Dei gratia Episcopus Auximanus universis Christifidelibus, ad quos iste litere advenerint, salutem in Domino sempiternam. Cum Ven. Pater Dominus Rambottus Dei gratia Episcopus Camerinensis ecclesiam sancti Blasii de Fabriano sue diocesis secunda dominica mensis Maij proximi venturi favente Domino consecrare inten-

XXI. *MONALDUS successit BERARDO, an.* 1289. 2. (1) *Kal. Febr. a Nicolao confirmatus. Cum enim BERARDUS Card. Prænestinus, cui Capitulum vices suas impenderat, ut Episcopum deligeret, primo nominasset M.* (2) *Priorem S. Crucis de Avellana, qui quieti intentus electioni renuit consentire, hunc ex Subdiacono Apostolico, & Canonico Carnotensis eccl.* (3) *evexit ad sedem. Tantum per tres annos in Auximana sede jus dixit. S. Joannis Baptistæ sacellum pictura, pretiosaque supellectili exornavit. Decessit autem* 1292. *die* 22. *mensis Aprilis, Auximanaque sedes duobus annis vacavit, cujus administratio per* 19. *menses ad Cleri Senatum devoluta est, quam deinde* (4) *S. Crucis Cardinalis per* 5. *menses eandem prudentissime administravit.*

XXII. *JOHANNES Auximanus patria, Episcopus Æsinus,* (cum ad Regem Pannoniæ pro sede Apost. legatione functus esset), *ad hanc sedem translatus a Bonifac. VIII. an.* 1295. 9. *Kal. Aprilis*, reg. Vat. ep. 67. f. 16.. *Is enim ab una parte Capituli postulatus, altera Leopardum Canonicum elegit; Cœlestinus*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

intendat, & nos suis literis decreverit requirendos, ut indulgentiam nostram dicte consecrationis concedere dignaremur; nos preces predicti Domini episcopi, quas loco mandatorum suscipimus, ad exauditionis gratiam deducentes, auctoritate ipsius Domini episcopi freti, confisi de omnipotentis Dei misericordia, beate Marie semper Virginis ejus Matris, beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, necnon gloriosorum LEOPARDI & VITALIANI patronorum nostrorum meritis gloriosis, omnibus vere contritis penitentibus & confessis, qui die consecrationis hujusmodi, & usque ad octavam ad dictam ecclesiam accesserint, unum annum venialium, quadraginta dies mortalium de injunctis eis penitentiis, & in anniversario die consecrationis quadraginta dies misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium presentes literas exinde fieri fecimus nostri sigilli appensione munitas. Datum Auximi anno Domini M. CC. LXXX. VII. Apostolica sede vacante, die XX. mensis Aprilis.

(1) XII. COLETIUS.

(2) Immo A., nempe *Albertinus*; monent enim doctissimi PP. Costadonius & Mittarellius *Annal. Camald. T. V. p.* 180. nullum in monasterii illius regestis a. MCCLXXXIX. reperiri Priorem, cujus nomen a littera M initium habeat. Matthæus quidam occurrit anno solum MCCXCIV., aut sequente.

(3) In *urbano libro Rubro p.* 1. *tergo* anno MCCXXXVII. die VI. Novembris hæc leguntur: *RAINERIUS BERARDI, Albertuccius Bombellus, Albertinus Petri nuncii & ambaxiatores castri Arcionis &c. pallium obtulerunt altari ecclesie S. LEOPARDI, & representaverunt dompno MONALDO Archipresbytero ipsius ecclesie.* Suspicor autem MONALDUM hunc ipsum illum fuisse, qui a. MCCLXXXIX. Episcopus dictus est, ut Canonicus quoque Auximatis ecclesiæ fuerit.

(4) Petrus.

stinus neminem admisit ; Bonifacius successor JOHANNEM ex plenitudine potestatis ab Æsina ad hanc sedem evexit , ut diximus. E vivis autem exemptus est 1317. (1), *& tanquam Beatus in ecclesia Auximana veneratur* (2).

XXIII. *BERNARDUS , vel BERARDUS supra memorati JOANNIS frater ex Canonico Cathedralis Episcopus effectus est ann.* 1320., *excessit autem* 1326. *misere intrusus in carcere ab Andrea , & Capatio Gozzelinis* (1) *Auximanæ civitatis tyrannis . Ob id , aliasque immanitates , & excessus Joannes XXII. Auximanam civitatem Episcopali dignitate privavit , voluitque , ut*

L 2 Episco-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Ad annum MCCCXVIII. JOHANNIS vitam Maronius protrahit *p.* 34. , sed etiam in vivis degebat a. MCCCXIX. Kalendis Decembris , quo die perscriptum fuit monumentum in membranaceo illo Archivi Episcopalis codice memoratum *p.* 363. *tergo* .

(2) Beatum aliquem JOHANNEM Auximi sedisse exploratum est. Pannellius legem illam Auximatium adfert in medium , qua nihil clarius : designantur enim quæ a suis civibus colendæ sunt *Festivitas Beatorum Confessorum LEOPARDI , VITALIANI , BENVENUTI & JOHANNIS* , neque omittit quæ Innocentius VIII. in bulla ab Ughellio inferius recitata hanc in rem habet. Illud dubitari potest , an JOHANNES ille apud Auximates sanctimonia clarus sit , quem heic laudamus ? Negat post Zacchium Pannellius , ut vidimus , alium nescio quem *Johannem* inter S. BENVENUTUM & BERARDUM intrudens. Sed præterquamquod BERARDUM ipso illo mense, quo S. BENVENUTUS decessit , in Auximate cathedra sedisse confirmavimus , cum scriptor Actorum S. LEOPARDI , quem sub quartidecimi sæculi finem vixisse Pannellius conjicit , tum Stephanus Canonicus , qui XV. sæculo miracula ab eodem S. LEOPARDO patrata recensuit , ab JOHANNE dum S. LEOPARDI corpus inventum perhibent a. MCCXCVI., eum sanctitatis laude claruisse significant. Nam ille JOHANNEM appellat *præclarum Episcopum , sanctitate plenum , & in ecclesiis restaurandis sollicitum , & devotum* ; hic diserte JOHANNEM illum fuisse ait , *qui Beatus dicitur* . Quis autem credat , eo fere sæculo, quo JOHANNES S. LEOPARDI inventor floruit, ac proxime insequente ignotum Auximatibus fuisse , quisnam apud eos JOHANNES sanctimoniæ meritis floruisset ? In iis, quæ ad S. LEOPARDI ætatem , gestaque spectant , ut quæ remotissima essent , ac temporum longissimis spatiis ex hominum animis fere deleta, errasse auctores illos libens adsentior ; at falli illos potuisse in re hujusmodi ; quæ pervulgata esse debuit , & uno vix ante sæculo contigerat, ut credam , gravissima postulo argumenta , quæ scilicet adferri vix possunt. Hæc scripseram , quum in Acta S. BENVENUTI incidens nuper a Pannellio illustrata, libens vidi , eum *p.* 77., qua est ingenui animi , unamque veritatem sectantis indole , palinodiam cecinisse , ac *Johannis* illius inter S. BENVENUTUM & BERARDUM a se cum Zacchio relati nomen de Auximanorum Antistitum serie sapienter expunxisse. Porro idem Pannellius aliqua de JOHANNIS patria addit *p.* 78. , quæ quod Ughellius sine tabulis dixerat , mire confirmant , Auximanum scilicet JOHANNEM nostrum fuisse .

(1) Scribe *Lippatio Gozolinis* .

Episcopus diœcesis Auximanæ *vocaretur. Res tota narratur* (2) *in epistola Urbani V., dum eidem civitati proprium pastorem restitueret, ut infra dicemus.*

XXIV. *Fr. SINIBALDUS Ordinis Minorum, electus est anno* 1326. *Johanne XXII. Papa sedente* (1).

XXV. *Fr.*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(2) Sed & Johannes ipse XXII. caussas indicat in litteris ad SINIBALDUM electum, quas num. sequente proferemus.

(1) Wadingus *Tom. III. Annal.*, & ex eo Martorellius *p.* 148. has recitant Johannis XXII. litteras, quibus SINIBALDO ejus electionem significat.

Dilecto Filio Sinibaldo electo diœc. Auximan.

Romani Pontificis, quem universi orbis ecclesiis cœlestis dispositio prætulit, & commisit illarum sollicitudinem generalem, supereminens cunctis auctoritas prudenter attendens, quod secundum varietates temporum, & demerita personarum succedunt humana judicia, & conditiones sunt mutandæ locorum, interdum statum ecclesiarum, & locorum ipsorum mutat, & variat, prout incolarum eorumdem locorum exigentibus culpis, & legitimis suadentibus causis, Divini nominis, & Ecclesiæ Romanæ, quæ disponente Domino caput, & magistra omnium fidelium existit, honori conspexerit, pensatis circumstantiis, rationabiliter, & salubriter expedire. Olim siquidem dum ecclesia Auximana, eidem Ecclesiæ Romanæ immediate subjecta, Episcopalis Episcopatus titulo potiretur, ac bo. me. BERARDUS diœcef. Auximan. tunc Auximan. Episcopus ipsius ecclesiæ Auximan. regimini præsideret; Nos exigentibus gravibus, & notoriis culpis, atque demeritis universitatis, & incolarum terræ tunc civitatis Auximan., qui maligno spiritu concitati adversus nos, & Romanam Ecclesiam furentibus, & obstinatis animis patenter, & manifeste rebellionis calcaneos erexerunt, Nos, & dictam Romanam Ecclesiam provocando, & afficiendo multimodis injuriis, & offensis, dictam terram, tunc ut præmittitur, civitatem, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, Episcopalis dignitatis honore privavimus, justitia exigente, ac voluimus, & decrevimus de consilio, & plenitudine antedictis, ut ex tunc idem BERARDUS, & qui successor in antea pro tempore sibi foret, Auximan. diœc. Episcopus vocaretur. Deinde vero præfato BERARDO in partibus illis sublato de medio, Nos attendentes, quod nullus præter nos de provisione præfatæ diœc. constitutæ in terra spectante ad Romanam Ecclesiam memoratam de Pontifice præficiendo eidem se potest intromittere ista vice pro eo, quod nos diu ante ipsius BERARDI obitum previsiones omnium ecclesiarum &c. contingeret attentari; cupientes quoque regimini præfatæ diœcef. nostræ providentiæ studio utilem, & fructuosam præesse personam, post deliberationem, quam cum eisdem fratribus super hoc attentam habuimus, demum in te Ord. Fr. Min., Ord. ipsum expresse professum, & in Sacerdotio constitutum, litterarum scientia præditum, morum, & vitæ honestate decorum, in spiritualibus providum, & temporalibus circumspectum, & aliis multiplicibus virtutum donis coram nobis, & dictis fratribus fide dignorum testimonio commendatum, convertimus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, de dictorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica dictæ diœcesi providemus, teque sibi in Episcopum præficimus, & pastorem, curam, & administrationem ejusdem diœc. tibi in spiritualibus, & temporalibus plane committendo, firma concepta fiducia, quod eadem diœcesis sub tuo felici regimine, dextera Domini tibi assistente propitia, salubriter, & prospere dirigetur, & grata suscipiet incrementa in spiritualibus, & temporalibus.

Quo-

XXV. *Fr. ALBERTUS Boson Ordinis S. Dominici*, *electus est anno* 1342. 8. *Kal. Septembris a Clemente VI.*. Diœcesis ecclesiæ Auximanæ *vocatur* electus *in epistola ejusdem Pontificis*, *cum Fr. Lucas de Castello*, *Ordinis Minorum*, *electioni de se factæ non acquievisset*, *defuncto SINIBALDO*, *sub quo civitas Auximana a Benedicto XII. dignitate Episcopali fuerat*, *suis exigentibus demeritis*, *spoliata* (1), ex reg. Vatic. ep. 62. fol. 186. anno I.

XXVI. *Fr. LUCAS Mannellus*, *nobilis Florentinus*, *Ordinis S. Dominici*, *filius celeberrimi monasterii S. Mariæ Novellæ*, *ut vocant*, *de Florentia*, *Philosophiæ*, *atque Theologiæ facultatibus suo tempore clarus*, *ex Episcopo Ziconiensi Auximanæ diœcesis creatus Episcopus anno* 1345. *Non. Novemb.*, reg. Vat. ep. 37. fol. 43. an. 6. par. I. lib. 3.. *Paucis omnino annis* (1) *Auximanam gubernavit ecclesiam*, *siquidem ad Fanensem deinde translatus est anno* 1357. ex regest. Vat., *decessitque Florentiæ anno*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, *quatenus impositum tibi onus a Domino suscipias reverenter*, *curam & administrationem prædictas sic geras sollicite*, *fideliter*, *& prudenter*, *gregem Dominicum in illa vigilantiæ tuæ commissum doctrina verbi*, *& operis informando*, *ut exinde apud remotos*, *& proximos fama tua clareas per effectum*, *& in delectationem nobis veniat opportuno tempore gratiose te prosequi*, *& tuis desideriis favorem benevolum impartiri*. *Datum Avin.* 8. *Idus Augusti Anno X.*

Fr. SINIBALDO RAYNALDUM successisse Martorellius narrat; tempora nimirum perturbat, & quem SINIBALDO de Sinibaldis suffectum superiore sæculo pro *Rainerio* dicere debuerat, RAYNALDUM ad sæculum XIV. perperam detrudit. Errat & Zacchius, qui *LUCÆ Corradum*, *Corrado* SINIBALDUM sufficit.

(1) Oblitus nempe heic est Ughellius eorum, quæ nuper de BERNARDO loquens vere narraverat, Johannem scilicet XXII. Auximanam civitatem Episcopali dignitate privasse. Suspicatus initio fueram, Benedictum XII. fortasse Johannis XXII. sententiam confirmasse; verum quum in Urbani V. Constitutione, de qua ad num. XXVII., Johannis quidem sententia memoretur, sed Benedicti XII. nulla injiciatur mentio, hallucinatum hoc loco Ughellium quis non intelligat? Cæterum ALBERTUS anno MCCCXLIII. mense Januario, ut ex monumento Cingulani monasterii S. Catharinæ Canonicus Giudici scribit, Cinguli Synodum habuit.

(1) Quindecim annos Auximatis Episcopatus LUCÆ tribuit. P. Negri *de Scriptoribus Florentinis pag.* 384., sed lapsus est heic, ut in aliis pluribus, eruditus hic auctor. Dum autem Mannellius Auximatem Pontificatum obtinebat, ex instrumento anno MCCCXLVIII. 9. Septembris discimus, *Reverendum virum fratrem* Symonem de Florentia *Ordinis Vallisumbrosæ* fuisse ejus *Vicarium generalem*; ex instrumento autem anni MCCCLII. 3. Novembris *Fr. Locterium de Ordine Prædicatorum* Vicarium illius generalem fuisse constat.

no 1363. (2), *sepultusque est in cœmeterio S. Mariæ Novellæ. Moralia Senecæ doctissimis commentariis illustravit, ejusdemque præceptionibus refertas epistolas, quod quidem aureum opus in ejusdem monasterii bibliotheca hactenus asservatur.* LUCÆ *meminit Fr. Seraphinus Razzius in lib. viror. illustrium Ordinis S. Dominici.* [Et postea Fontana de Romana Provincia pag. 330., Altamura in bibl. Domin. p. 131. 488., denique Pocciantius de Scriptoribus Florentinis pag. 115. *Mandosius*] (3).

XXVII. *Fr.* PETRUS, *ex nobili familia de Massæis, Asculanus, Ordinis S. Dominici, electus est an.* 1357. (1), *ut ex sequenti Innocentii VI. bulla perspicitur, dum Fr.* SIMEONEM *Ord. Prædicatorum Auximanæ diœcesis Episcopum in locum Fr.* LUCÆ *Mannelli ejusdem Ordinis ad Fanensem ecclesiam translati constituisset* (a).

INNO-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(2) 1364., quem annum non solum appellatus P. Negri adscribit, sed etiam ex picturis, quæ in Conventus bibliotheca exstant, P. Richa *de Ecclesiis Florentinis T. III. p. I. pag.* 95.

(3) Adde his P. Negri, & PP. Quetifium, & Echardium de *Scriptoribus Ordinis Prædicatorum*. Reddo ego quæ de LUCA habet Necrologium a Fr. Petro de Macciis Caligai filio inchoatum, ab aliis deinde continuatum. *Frater LUCAS de Mannellis sacerdos, & prædicator. Hic fuit Frater maximæ literaturæ, & nobilissimi ingenii, ac promptissimæ memoriæ. Fuit Prior Pistoriensis, & Lector in pluribus Conventibus. Tandem propter suam excellentem scientiam vocatus a Domino Papa Clemente VI. ad Romanam Curiam factus est Episcopus Oximanus, & demum Episcopus Fanensis. Hic ad petitionem dicti Domini Papæ exposuit epistolas Senecæ, & alios ejus libros valde excellenter, & quædam alia opera fecit. Postremo valde antiquus Fanum ivit ad suum Episcopatum, ubi non post multum tempus diem clausit extremum anno Domini MCCCLXIV., expletis in ordine annis LX.*. Hæc ibi, quæ quod ex apographo Magliabechianæ bibliothecæ prodierint, Cl. Laurentio Mehus debemus *in Vita Ambrosii Generalis Camaldulensis p. CCLXXX.*. Fabricius *Bibl. med. & inf. latin. T. IV. p.* 281. hæc memorat ab eo scripta: 1. *sermonem*, quem anno 1343. coram Clemente VI. & Cardinalibus Avenione habuit. 2. *Compendium moralis Philosophiæ* ad Brutium Vice comitem. 3. cum P. Negri, qui duo hæc opuscula præteriit, *Expositionem epistolarum Senecæ, ejusque moralis Philosophiæ*. Quod opus alii disquirant, sitne idem, quod a Labbeo commemorari video *Nov. Biblioth. p.* 313. prænotatum: *Excerpta ex libris Senecæ Philosophi, Senecæ Rethoris, & Senecæ Tragici cum notis* LUCÆ *Episcopi Auximani ad eumdem Clementem VI.*

(1) Hinc nullus locus *Corrado*, quem LUCAM inter, & PETRUM Ughellius in prima editione, & Martorellius Episcopum Auximanum constituerunt.

(*a*) Contuli sequentem Constitutionem cum vetusto exemplo.

(*b*) *po-*

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei

Dilectis filiis populis (b) *diœceſis* (c) *eccleſiæ Auximanæ, olim Cathedralis, Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjectæ* (d) *ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

„ *INter cætera, quæ ſuperna diſpoſitione nobis imminent peragenda, ad id nimirum ſolliciti reddimur, ut viduatis eccleſiis, præſertim eidem Eccleſiæ immediate ſubjectis, tales præficiamus in paſtores, per quorum induſtriam, & ſollicitudinem circumſpectam indemnitati earum provideatur ſalubriter, & eccleſiæ ipſæ* (e) *in ſpiritualibus & temporalibus proficere valeant incrementis. Sane diœceſi eccleſiæ Auximanæ olim Cathedralis, prædictæ Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjectæ, ex eo paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos hodie Ven. F. magiſtrum* (f) *LUCAM Fanenſem, tunc dictæ diœceſis Epiſcopum, apud ſedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo, quod* (g) *dictæ diœceſ. ipſius eccleſiæ Auximanæ, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad eccleſiam Fanenſem tum vacantem auctoritate Apoſtolica duximus transferendum, præficiendo eum dictæ eccleſiæ* (h) *in Epiſcopum, & paſtorem; Nos ad proviſionem ipſius diœceſis dictæ eccleſiæ Auximanæ celerem, & felicem, ne ipſa diœceſ. diu paſtore careret, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper hoc habuimus cum dictis noſtris fratribus diligentem, demum ad dilectum filium PETRUM SIMONEM* (i) *de Æſculo* (k), *electum dictæ diœceſis ipſius eccleſ. Auximanæ, ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decoratum, in ſpiritualibus* „ *pro-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(*b*) *populo*. (*c*) *diœceſis*, & ſic deinceps. (*d*) *ſubjectis*. (*e*) *ipſi*. (*f*) *noſtrum*. (*g*) *quo*. (*h*) *dictæ eccleſiæ Fanenſi*. (*i*) *Symonis*. (*k*) *Eſculo*. (*l*) *ſe-*

„ *providum, & in temporalibus circumspectum, aliisque multi-*
„ *plicum virtutum meritis, prout fide dignorum percepimus te-*
„ *stimonio, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostræ men-*
„ *tis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona*
„ *ipsius PETRI SIMONIS electi dictæ diœcesis ipsius ecclesiæ Au-*
„ *ximanæ, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, auctoritate*
„ *prædicta providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum,*
„ *& pastorem, curam & administrationem ipsius diœcesis sibi in*
„ *spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; In illo,*
„ *qui dat gratias & largitur præmia, confidentes, quod præfata*
„ *ecclesia, & diœcesis sub ipsius electi felice* (l) *regimine,*
„ *gratia sibi assistente divina, grata susciperet incrementa. Quo-*
„ *circa universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per*
„ *Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eumdem electum*
„ *tamquam patrem, & pastorem animarum vestrarum devote*
„ *suscipientes, & debita honorificentia prosequentes, ipsius salu-*
„ *bribus monitis, & mandatis humiliter intendatis, ita, quod*
„ *ipse in vobis devotionis filios, & vos subsequenter in eo pa-*
„ *trem invenisse benevolum* (m) *gaudeatis.*

„ *Datum Avenion.* (n) *9. Kal. Febr. Pontif. nostri anno 6.* *Annus vero* 1366., *qui nonus fuit PETRI Præsulatus, Urbanus V. in gratiam ejusdem PETRI, & Nicolai de Romanis civis Auximani ejusdem Pontificis a secretis, dignitatem Episcopalem, & civitatis honorem Auximo restituisse narratur in bulla, quam modo dabimus: ab eodem post* 40. *annum privationis sic ad Clerum Auximanum scribitur* (a).

URBANUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei

Dilectis Filiis Clero & diœcesi Auximanæ salutem & Apostolicam benedictionem (b). *Sancta mater &c. perseverent* (c).

„ S*Ane exhibita nobis pro parte Ven. Patris nostri PETRI Epis-*
„ *copi diœc. ecclesiæ Auximanæ olim Cathedralis, & dile-*
„ *ctorum*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(l) *felici.* (m) *benivolum.* (n) *Avinione.*

(a) Integram damus cum antiquo exemplo collatam, unde aliquot in locis emendandus erit Martorellius, qui *p.* 158. illam edidit. (b) Verba hæc *dilectis* &c. usque *benedictionem* in hæc sunt immutanda: *ad perpetuam rei memoriam.* (c) Hæc ita se habent: *Sancta mater Ecclesia sic in suos filios, & subjectos ab*

„ *ctorum filiorum Nicolai de Romanis de Auximo notarii, &*
„ *secretarii nostri, ac cleri, & populi terræ, olim civitatis*
„ *Auximi petitio continebat, quod q. Lipatius, & Andreas*
„ *fratres nati* (d) *Guzzolini* (e) *milites Auximani, qui terram*
„ *ipsam tunc civitatem tyrannice detinebant, b. m. BERARDUM*
„ *Episcopum Auximanum E. R. devotum capitali odio prosequentes*
„ (f), *ipsum ausu sacrilego ceperunt, & carceribus mancipave-*
„ *runt* (g), *tantoque tempore tenuerunt captivum, quod idem*
„ *Episcopus in iisdem carceribus diem clausit extremum, propter*
„ *quod* (h), *& nonnullos alios enormes excessus, ac contumacias,*
„ *& inobedientias eorumdem Lipatii, & Andreæ, nec non po-*
„ *testatis, consilii, communis, & populi, ac universitatis civitatis*
„ *ejusdem, tunc dd. tyrannis faventium, contra R. E. eorum*
„ *matrem, & dominam, ejusque officiales, & alios fideles, ac*
„ *devotos temere commissor., felic. recordat. Johannes* (i) *XXII.*
„ *prædecessor noster nonnullos processus fecit excommunicatio-*
„ *nis in singulas* (k) *personas, ac interdicti in eamdem*
„ *civitatem, & in ejus terras, castra, villas, & loca sua,*
„ *&* (l) *ei quoquomodo subjecta, nec non privationis omnium*
„ *privilegiorum indulgentiarum, gratiarum, libertatum, &*

M „ *immu-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

ab ejus interdum deviantes gremio, & in excessus detestabiles prorumpentes, ad eorum correctionem rigorem severitatis exercet, ut cum eos castigatos, & pœnitentes conspexerit, non omittat eisdem tribuere clementiæ lenitatem, illisque se liberalem in gratiis exuberanter præbet, ut, materni lactis dulcedine regustata, in ejus sinu constantius perseverent. (*d*) *nati quondam.* (*e*) *Gonzolini.* (*f*) *persequentes.* (*g*) *manciparunt.* (*h*) BERARDUS in vivis erat, dum Johannes XXII. Auximates civitatis & Episcopatus honoribus privavit. Verissimum tamen est, BERARDUM in carceribus diem clausisse extremum. Itaque BERARDI, quæ heic narratur, mors caussa quidem Johanni non fuit tam graviter in Auximates animadvertendi, sed ab Urbano indicari heic tamen potuit, una veluti serie crimina, quæ Auximates in Romanam Ecclesiam admiserant, percensente. Unica autem BERARDI morte excepta, quæ post Johannis sententiam consignanda est, Urbanus heic Auximatium in Romanam Ecclesiam facinora enucleatius explicare voluisse dicendus est, quæ paucis Johannes comprehendit in litteris ad SINIBALDUM his verbis: *exigentibus gravibus & notoriis culpis atque demeritis universitatis, & incolarum terræ tunc civitatis Auximan., qui maligno spiritu concitati adversus nos, & Romanam Ecclesiam furentibus, & obstinatis animis patenter, & manifeste rebellionis calcaneos erexerunt, nos, & dictam Romanam Ecclesiam provocando, & afficiendo multimodis injuriis, & offensis.* Ipsa enim illa, quæ in BERARDUM patrata fuerunt, ex odio, & in Romanam Ecclesiam perduellione proficiscebantur. (*i*) *Johannes Papa.* (*k*) *singulares.* (*l*) *seu ei.*

(*m*) *ad*

„ *immunitatum realium, & personalium, eis communiter, vel*
„ *divisim sub quacumque forma a sede Apostolica concessorum,*
„ *nec non privationis, & confiscationis feudorum, jurium, bo-*
„ *norum, officiorum, & aliorum bonorum mobilium, & im-*
„ *mobilium quorumcumque, quæ ipsi delinquentes ubicumque a*
„ *dicta Ecclesia tenerent, aliasque pœnas, & sententias conti-*
„ *nentes, tandemque ipsam terram tunc, ut præfertur, civitatis*
„ *dignitate, & bonore Episcopali auctoritate Apostolica privavit*
„ *de plenitudine potestatis; & quia terræ, & castra, & loca*
„ *dictæ diœcesis Auximanæ fere omnia erant in devotione, &*
„ *obedientia R. E. memoratæ, & ad eam* (m) *confugerant*
„ *nonnulli cives dictæ civitatis, qui erant devoti, & fideles*
„ *R. E. supradictæ, & ex illis impugnabant tyrannos, & civita-*
„ *tem præfatos, voluit & ordinavit prædecessor jam dictus, quod*
„ *eadem diœcesis haberet Episcopum, & vocaretur Episcopus*
„ *diœcesis Auximanæ, & terra Auximi prælibata jure ordinario*
„ *ipsi Episcopo, qui esset pro tempore, sicut prius in spiritua-*
„ *libus subjaceret, prout in diversis literis præfati prædecessoris*
„ *inde confectis dicitur plenius contineri &c.* (n). *Quare præ-*
„ *fati*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(*m*) *ad ea.* (*n*) *Et nihilominus nonnulli alii ejusdem Romanæ Ecclesiæ in provincia Marchiæ Anconitanæ, in qua dicta terra consistit, officiales nonnullos processus fecerunt, diversa banna, ac pœnas spirituales, & temporales, ac sententias continentes. Continebat etiam petitio supradicta, quod omnes Episcopi dictæ diocesis, qui fuerunt pro tempore, jurisdictione ordinaria, & diocesana in præfata terra Auximi, & tota diocesi prælibata usi fuerunt plenarie, sicut adhuc utitur* PETRUS *Episcopus memoratus, quodque a multis annis citra, mortuis dictis tyrannis, & propulsis eorum posteris de terra præfata, ac ipsorum sequacibus fere omnibus reversis ad obedientiam, fidelitatem, & mandata Romanæ Ecclesiæ sæpedictæ, ac eisdem fidelibus civibus, qui ob fidelitatem eorum exulaverant a dicta terra, reductis ad eam ipsam terram Auximi, ejusque populus per multos annos fuerant, prout sunt, in plena obedientia, & devotione, ac fidelitate nostra, & Romanæ Ecclesiæ memorata; propter quod nonnullæ singulares personæ dictæ terræ auctoritate Apostolica fuerunt a dictis excommunicationum sententiis absolutæ, & interdictum hujusmodi relaxatum: quodque dudum potestas, regimina, priores, officiales, consilium, & commune, ac singulares personæ dictæ terræ de, & super omnibus, & singulis processibus, bannis, & sententiis contra eos factis, datis, & latis per quoscumque officiales, & rectores jam dictæ provintiæ de, & super quibuscumque maleficiis, inobedientiis, cavalcatis, fautoriis, & aliis quibusvis culpis, delictis, seu criminibus per potestatem, regimina, priores, officiales, consilium, & commune, ac singulares personas sæpedictæ terræ commissis, seu quæ dicerentur commissa contra Romanam Ecclesiam antedictam, cum dilecto filio nostro Andruino, Tit. Sancti Marcelli presbytero Cardinali, tunc Abbate monasterii Cluniacen. Matiscon. diocesis, in illis partibus Apostolicæ sedis*

„ *fati Episcopus, notarius, clerus, & populus nobis humiliter*
„ *supplicarunt, quatenus* (o) *pie attendentes, quod hujusmodi*
„ *excessus, & culpæ a dd. tyrannis principaliter prodierunt, &*
„ *ipsorum filii longo tempore exulaverunt, & exulant a terra*
„ *præfata, & quod in ea iidem cives devoti, & fideles, & eo-*
„ *rum posteri, qui pro tempore rebellionis, inobedientiæ, & ex-*
„ *cessuum prædictorum de dicta terra, & per præfatos tyrannos*
„ *expulsi fuerunt, ut profertur* (p), *ad honorem, & statum*
„ *prælibatæ R. E. commorantur, de copiosa benignitate dictæ*
„ *Sedis hujusmodi dignitatem, & honorem Episcopalem præfatæ*
„ *terræ Auximi restituere, & terram ipsam denuo insignire civi-*
„ *tatis titulo, ac nomine dignaremur. Nos igitur, ut dictus com-*
„ *munis, & populus in obedientia, & devotione præfatæ R. E.*
„ *tanto sedulius, & constantius perpetuo maneant, quanto ex po-*
„ *tioribus gratiis ipsius Sedis se ad hoc conspexerint obligatos,*
„ *hujusmodi supplicationibus inclinati ecclesiæ Auximanæ, ac*
„ *terræ Auximi prædictis dignitatem, & honorem Cathedra-*
„ *lem, & Episcopalem auctoritate Apostolica, de fratrum no-*
„ *strorum consilio, & de gratia restituimus speciali, & civita-*
„ *tem ipsam civitatis titulo, & nomine denuo insignimus, sta-*
„ *tuentes, &* (q) *decernentes, quod idem Episcopus, qui præ-*
„ *est, & qui pro tempore præfuerit eidem Auximanæ ecclesiæ,*
„ *appelletur episcopus Auximanus, & omnibus suis officio, ju-*

M 2 „ *risdi-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

sedis legato, ac terrarum, & provintiarum ejusdem Romanæ Ecclesiæ in partibus Italiæ citra Regnum Siciliæ consistentium Vicario Generali, in hac parte a dicta Sede mandatum habente composuerunt pro certa pecuniæ summa, quam officialibus Cameræ Apostolicæ in illis partibus consistentibus integre persolverunt, ipseque legatus dictos commune, & populum, & speciales personas ipsius restituit ad honores, statum, famam, jura, actiones, & bona quæcumque, quibus forent ratione hujusmodi processuum, vel aliorum excessuum quorumcumque privati: quodque nuper Ven. frater noster Anglicus Episcopus Alban., noster, & pro eadem Romana Ecclesia in eisdem terris dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicarius Generalis, fidelitatem, & obedientiam dictorum communis, & populi benigne considerans, eos ad hujusmodi honores, dignitates, & famam, quibus præmissorum occasione per processus Apostolicos, & constitutiones Romanæ Ecclesiæ, seu provintiæ præfatarum, aut alias quomodolibet privati erant, auctoritate, qua fungebatur, restituit, reintegravit, & habilitavit, ac si prædicta, vel eorum aliquod nullatenus commisissent, ipsis tamen communi, & populo persistentibus, & perseverantibus in obedientia, reverentia, & devotione nostra, successorum nostrorum, & Ecclesiæ memoratæ, prout in ipsorum legati, & Vicarii litteris inde confectis plenius continetur. (o) *quatinus.* (p) *ut præfertur.* (q) *statuentes, ac.*

(r) *fi-*

„ *risdictione, honoribus, & insigniis utatur plenarie in dictis „ ecclesia, & civitate Auximana, sicut* (r) *prædecessores episcopi Auximani ante privationem hujusmodi utebantur. Nulli &c.* (ſ).

„ *Datum apud M. Flasconum* 4. *idus Julii, Pontif. nostri „ anno* 6. 1368.

Decessit autem 1381.. *Sepultus jacet in ecclesia S. Petri Martyris Asculi* (2), *ubi ante aram principem hoc habet epithaphium:*

Anno Domini MCCCLXXXI. & die iii
mensis Augusti. Hoc est sepulchrum Domini
PETRI de Asculo Episcopi Auximani de ord.
Prædicatorum.

XXVIII. *PETRUS de Monte Filiorum* (1) *ex Subdiacono popularibus suffragiis sublectus est post PETRI excessum* (2). *Cujus electionem cum adverso decreto irritasset VI. Urbanus, mox motu proprio, contentus popularem audaciam suppressisse, eundem ad Auximanam sedem evexit; vir utique magni spiritus, itaque cordatus, ut cum Nicolaum quemdam Æsinatem presbyterum comperisset contra Auximates conspirasse in favorem Gibellinarum partium, & conspirationis filum sua prudentia abrupit, & deprehensum presbyterum perpetuo carcere concludendum curavit. Totius Marchiæ, ac Spoletini Ducatus Vicelegati munere fun-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(r) *sicut qui.* (ſ) *ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ restitutionis, insignitionis, constitutionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

(2) In patriam nempe excurrere consueverat. Quare a. MCCCLXXX. 20. Augusti instrumentum habemus in membranaceo Archivi Episcopalis codice a PETRO: *Actum Asculi*.

(1) Supple *Optrani*.

(2) In sæpius citato membranaceo codice reperio, *PETRUM Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopum Auximanum* a. MCCCLXXXI. die 5. Augusti *monasterium dominarum S. Bartholomei de Aguliano Auximane diocesis* cum monasterio S. Matthæi conjunxisse. Quare quum PETRUS Asculanus ipso hoc anno die 3. Augusti decesserit, & PETRUM (Lambertinium) de Monte Filiorum Optrani Pontifex initio rejecerit, dicendum est, non post PETRI Asculani excessum, sed Auximate sede a sene PETRO abdicata, sub anni superioris MCCCLXXX. finem PETRUM hunc fuisse electum. Et certe verisimile est, PETRUM illum anno MCCCLXXX. Asculi dum degeret, de dimittendo Episcopatu cogitasse.

functus est. In Cathedrali ad psallendum subsellia statuit, templumque a se exornatum pretiosa supellectili, ecclesiasticoque cultu ditavit. In Cingulum suæ diœcesis castellum S.Marci moniales ad S. Margaritæ cœnobium transtulit. Decessit anno 1400. (3).

XXIX. *JOANNES Grimaldescus Auximanus, in utroque jure consultus, a Bonifacio IX. suæ patriæ electus Episcopus est anno* 1400. 3. *Non. Septemb.. Hic XII. Gregorii Pontificis temporibus in pristinum statum, numerumque Canonicos Cathedralis restituit, quos pauperior census temporibus supra memorati PETRI vix tantum octo alere posse videbatur. Itaque in Auximana sede JOANNE sedente duodecim jam ibi Canonici divinum opus urgebant, ut in lib. de diversis formis XII. Gregorii narratur* fol. 222.. *Decessit autem JOANNES* 1412.

XXX. *BARTHOLOMÆUS JOANNI successit ann.* 1412.; *sedit autem annos septem, eoque Episcopali munere se exolvit anno* 1419.

XXXI. *Fr. PETRUS Herculanus Fanensis, Ordinis Minorum, a Martino V. hunc Episcopatum accepit* 1419. 3. *Kal. Feb. Per annos tres illam ecclesiam administravit. Decessit* 1422. *Cæterum PETRO Auximanis jus divinum dicente, fortuito incendio prædives deflagravit sacrarium, ubi præter cæteram pretiosam supellectilem, eodem debacchante incendio, antiqua scripturarum monumenta magno ejus ecclesiæ, atque irreparabili incommodo perierunt.*

XXXII. *Fr. NICOLAUS* (1) *Auximanus, e Castello, Ord. S. Benedicti, ex Abbate S. Nicolai, Martino V. sedente, suæ patriæ electus Episcopus est an.* 1422. 9. *Kal. August.; decessit autem* 1434.. *De illius electione Martinus V. ita ad Auximanum capitulum scripsit* (a).

MAR-

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(3) Post diem 26. Aprilis, quo *Dominus Corradus Jacobi de Auximo Vicarius generalis PETRI Episcopi* apocham scripsit.

(1) Cognomine *Bianchi*.

(a) Contuli cum antigrapho, quod est in Capituli Archivo.

(b) *Epis-*

MARTINUS V. (b)

Servus servorum Dei. Dilectis filiis capitulo ecclesiæ Auximanæ S. R. E. immediate subjectæ salutem & Apostolicam benedictionem.

„ *Apostolatus officium &c.* (c) *Dudum siquidem bon. mem. PETRO Episcopo Auximano regimini ecclesiæ vestræ* (d) *Auximanæ præsidente, nos cupientes eidem ecclesiæ, cum eam vacare contingeret, per operationis nostræ ministerium utilem, & idoneum* (e) *præsidere per bonam* (f), *provisionem ipsius ecclesiæ ordinationis, & dispositionis* (g) *nostræ ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super iis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero præfata ecclesia vestra per obitum dicti PETRI Episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, vos reservationis, & decreti prædictorum forsan ignari dilectum filium NICOLAUM electum Auximan., tunc Abbatem monasterii S. Nicolai Auximan. Ordinis S. Benedicti, in vestrum & Auximan. Episcopum concorditer elegistis, licet de facto, ipseque electus reservationis, & decreti hujusmodi similiter inscius electioni hujusmodi illius sibi præsentato decreto consensit, similiter de facto, & demum reservatione, & decreto prædictis ad ipsius electi deductis ad notitiam, hujusmodi electionis negotium proponi fecit in Concistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam, & quæcumque idem* (h) *secuta, utpote post, & contra reservationem, & decretum prædicta de facto, ut præmittitur, attentata,*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(*b*) *Episcopus.* (*c*) *Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini præsidemus, utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes, soliciti corde reddimur, & solertes, ut cum de ipsarum præsertim Romanæ Ecclesiæ immediate subjectarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem Dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico, & tranquillo velint, & valeant duce Domino salubriter regere, & feliciter gubernare.* (*d*) *nostræ.* (*e*) *idoneam.* (*f*) *personam.* (*g*) *ordinationi, & dispositioni.* (*h*) *quæcumque inde.*

(*i*) *ce-*

„ *tata, irrita, prout erant, & inania reputantes, & ad provi-*
„ *sionem ipsius ecclesiæ vestræ celebrem* (i), *& felicem, de*
„ *qua nullus præter nos ea vice se intromittere potuerat, sive*
„ *poterat, reservatione, & decreto obsistentibus supradictis, ne*
„ *ecclesia ipsa longæ vacationis exponeretur incommodis, pa-*
„ *ternis, & solitis* (k) *studiis intendentes, post deliberatio-*
„ *nem, quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem*
„ *& etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligen-*
„ *tem, demum ad eumdem* NICOLAUM *electum, cui de reli-*
„ *gionis zelo, literarum scientia, vitæ munditia, honestate mo-*
„ *rum, spirituali providentia, & temporalium circumspectio-*
„ *ne, & aliis multiplicium meritorum apud nos fide digna te-*
„ *stimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, qui-*
„ *bus nostris* (l), *nec non vestrum electum* (m) *eligentium*
„ *concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona ip-*
„ *sius electi, nobis & dictis fratribus ob suorum exigentiam me-*
„ *ritorum accepta, eidem ecclesiæ vestræ de dictorum fratrum*
„ *consilio auctoritate Apostolica providimus, ipsumque illi præ-*
„ *fecimus in Episcopum, & pastorem, curam, & administratio-*
„ *nem ipsius ecclesiæ sibi in spiritualibus, & temporalibus ple-*
„ *narie committendo, in illo qui dat gratias, & largitur præ-*
„ *mia, confidentes, quod dextera Domini sibi assistente, propte-*
„ *rea præfata ecclesia sub suo felici regimine prospere, & sa-*
„ *lubriter dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, & tem-*
„ *poralibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni vestræ per*
„ *Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem electum tam-*
„ *quam patrem, & pastorem animarum vestrarum grato admit-*
„ *tentes honore, & exhibentes sibi obedientiam, & reverentiam*
„ *debitam & devotam, ejus salubria monita, & mandata susci-*
„ *piatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis. Alioquin*
„ *sententia, qua* (n) *idem electus rite tulerit in rebelles, ratam*
„ *habebimus, & faciemus, auctore Deo, usque ad satisfactionem*
„ *condignam inviolabiliter observari.*

„ *Datum Tibure 9. Kal. Augusti anno nostri Pontificatus* 5. (2).

XXXIII.

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(*i*) *celerem*. (*k*) *sollicitis*. (*l*) *quibus omnibus*. (*m*) *præfatum electum*. (*n*) *sententia, quam*.

(2) In Archivo præstantissimæ familiæ Florentiæ exstant Auximi *Conven-tiones*

XXXIII. *ANDREAS civis Auximanus, e castello Monticulo oriundus, olim Episcopus Caprulanus, tum Forosemproniensis electus præsul, huc translatus anno* 1434. *die* 7. *mensis Januarii. Aderat tunc, quando ad ecclesiam hanc translatus fuit, Concilio Basileensi, quem uti virum clarissimum, doctrina, & prudentia præditum singulari, universalique Ecclesiæ necessarium Patres apud se retinebant, eumdemque Prioribus, populo, & communitati Auximanæ civitatis hisce literis commendarunt, quæ hactenus in tabulario ejus ecclesiæ asservantur.*

„ *Sacrosancta generalis Synodus Basilien. in Spiritu S. legiti-*
„ *me congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, dilectis*
„ *Ecclesiæ filiis Prioribus, populo, & communitati civitatis*
„ *Auximanæ salutem, & Omnipotentis Dei benedictionem. No-*
„ *vissimis diebus, uti percepimus, D. Eugenius cupiens ecclesiæ*
„ *Auximanæ de optimo pastore utiliter providere, ad ecclesiam*
„ *ipsam transtulit Ven. Andream de Monticulo decretorum do-*
„ *ctorem, olim Episcopum Caprulen., & nuper Forosempronien.,*
„ *magnis ejus virtutibus sic exigentibus, qui cum in hoc sacro*
„ *Concilio longo tempore fuerit, & tamquam notabile, & utile*
„ *membrum ipsius circa negotia universalis Ecclesiæ, quæ hic*
„ *ardua tractantur, prudenter cum magna diligentia semper se*
„ *habuerit, adeo quod a nobis commendatione, bonore, & di-*
„ *gnitate quamvis magna dignus judicetur, speremusque quod*
„ *hujusmodi de eo translatio facta vobis erit grata, Ecclesiæ au-*
„ *tem nondum grata, sed futura est utilissima, vos exhortamur*
„ *in Domino, & attente rogamus, ut eum favorabiliter, &*

„ *cum*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

tiones & pacta inter NICOLAUM Episcopum Auximanum, & communitatem Auximanam in controversia super solutione gabellarum inita anno MCCCCXXVIII. die XI. Augusti.

Illud quoque non omittendum, NICOLAO sedente, corpora sanctorum Martyrum Victoris, Coronæ, & Philippi anno MCCCCXXXII. inventa fuisse cum latere inscripto: *Tres sumus Victor, Corona, Philippus. Martyres sumus &c.*, qua super re in publicis urbis Annalibus *p.* 110. testificatur Martorellius *p.* 246. hæc legi: *Reinventa fuerunt corpora, & reliquiæ Ss. Martyrum Victoris, Coronæ, & Philippi in tribus saccis sigillatis, in quadam archa subtus Confessionem Episcopatus posita juxta murum anteriorem versus cassarum cum maxima devotione, & solemnitate totius cleri, & populi, & factæ fuerunt solemnes processiones, & dicta corpora plura miracula fecerunt, & faciunt quotidie.* Huc spectant Eugenii IV. litteræ a Pannellio editæ *in Monumentis S. LEOPARDI p.* 20.

„ *cum debita reverentia recommissum suscipiendo, velitis omnem „ diligentiam adhibere ob Dei, & Ecclesiæ sacrosanctæ reveren- „ tiam, ac ejus ornamenta virtutum, quod dictæ ecclesiæ pos- „ sessionem faciliter consequatur. Ipse enim Episcopus cum ne- „ queat personaliter, hic in negotiis fidei, & Ecclesiæ universalis „ implicitus, ad dictam possessionem consequendam accedere, pro- „ curatores suos legitimos mittit, & quod, ut diximus, pro fide „ hic diligenter laborat, rogamus vos, ut velitis dictis procura- „ toribus suis consiliis, favoribus, & auxiliis assistere opportu- „ nis, adeo, quod favore vestro, ac etiam intuitu nostro totius „ Episcopatus possessionem sine aliquo impedimento possit obtine- „ re, quod nobis certe gratum erit, & ex hoc sacrum Conci- „ lium vobis multum obligabitis, ecclesiæ, & populo vestro, „ ut diximus, de ejus persona salubriter provisum erit, & vos „ omnes postea vobis contentari poteritis.*

„ *Datum Basileæ* 10. *Kal. Decembr. an. Domini* 1434. *D. de* „ *Battiferis.*

„ *Loco plumbi* ✠ *sacrosancta synodus Basilien.*

Hic sanctissimis moribus fuit, ita ut hactenus etiam suavissima apud pios ejus memoria habeatur. Ejus tempore, jussuque Ss. martyrum Florentii, Sisinii, Diocletii, & Maximi corpora e monasterio S. Florentii in Cathedrale templum honorifice translata sunt. Decessit autem Andreas 1454. *non sine suorum lacbrymis, sepultusque est in Cathedrali.* (Vicarius Eugenii IV. in urbe Regnicolas illos degradavit, qui capita Ss. Apostolorum pretiosissimis gemmis denudaverant. LUCENT.).

XXXIV. *JOANNES, e gente Præfetta nobilis Urbinas, a Nicolao V. creatus* 1454. *die* 30. *mensis Augusti. Inceptam summæ ædis ædificationem a suo antecessore magnifice absolvit. Annos omnino sex Auximanam rexit ecclesiam. Decessitque* 1460. *6. Kal. Augusti, sepultusque est in Cathedrali.*

XXXV. *GASPAR Zacchius nobilis Volaterranus, Græcis, latinisque literis cultissimus* (1), *Card. Bessarioni a secretis,*

N *Pio*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Quare e Græco in latinum orationem transtulit S. Basilii in *Gordium Martyrem*, Raphaele Volaterrano teste in litteris ad Marium Maffejum fratrem, quarum meminit Cl. P. Mansius *T. III. Biblioth. med. & inf. latinit.* p. 22. Doctissimis sui ævi viris carus cum primis fuit, ac præsertim Cyriaco Anconita-

Pio II. familiaris, ab ipso Episcopus declaratus est anno 1460. 6. Id. Augusti. Hic vir plane diligens, ac liberalis ex iis, quæ ex incendio eripi potuerant, monumentis suorum antecessorum seriem satis mutilam compilavit, ne in totum perirent eorum nomina, quibus incendium inviderat immortalitatem; sibi creditam ecclesiam visitatione, ut vocant, censuraque correxit; sedit autem 14. annos, Romæque demum vita functus est, tumulumque apud S. Mariam Majorem accepit prope præsepe Domini, ubi in marmoreo lapide ejus leviter insculpta perspicitur effigiès cum gentilitiis stemmatibus, in quibus quinque congesti montes exurgentem arborem tegunt, quam rastrum tribus distinctum liliis superne exornat, cum hac inscriptione:

Hic jacet Rev. Pater D. Gaspar Zacchius E-
piscopus Auximanus Græcis ac latinis lite-
ris eruditissimus. Obiit an. Do. MCCCCLXXIV. mens.
Novemb. die XXIII. (2)

(In Archivo generali Florentino in Protocollo Jacobi Antonii de Romena ad an. 1449. de hoc Zacchio hæc leguntur: *D. Gaspar q. Antonii Taviani de Zacchiis de Vulterris Archipresbyter Vulterranus, Accolitus Apostolicus, & D. Bessarionis Cardinalis secretarius, & continuus commensalis.* SALVINUS).

XXXVI. *LUCAS Carduccius Florentinus, Nicolao, Petraque Foraboschia nobilibus parentibus ortus, adhuc adolescens apud Camaldulenses in Ss. Angelorum Florentino cœnobio monasticam vitam instituit, dignitatumque gradus suæ religionis mira virtutum progressione percurrit; siquidem monasterii in quo sui tyrocinii*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

nitano, & Hieronymo de Ronco, quorum ad eum exstant epistolæ in *Commentariorum* ejusdem *Cyriaci novis fragmentis* magno antiquitatis bono a doctissimo Auximate Episcopo Compagnonio nuper erutis, atque ab eruditissimo Equite Hannibale de Abbatibus Oliverio Pisauri illustratis, *pag. 6. & 8.*

(2) Ex Galletio V. C. in *Inscriptionibus Picenis p. 49.* emendatiorem eamdem Inscriptionem adscribo.

HIC IACET REVEREDUS
PATER DNS CASPAR ZACCHIUS EPUS AUXIMANUS GRECIS ET
LATINIS LICTERIS ERUDIT
ISSIMUS OBIIT ANNO DNI MCCCCLXXIV. MENS. NOVEBRIS DIE XXIII.

rocinii posuerat rudimenta, primum Prior factus est (1), *deinde S. Sabinæ* (2) *Abbas, demum a Sixto IV. Auximanus Episcopus electus est, cum illam curam, utpote ancipitem, ac propemodum Angelicis humeris formidandam maxime aversaretur, anno* 1474. 5. *Non. mensis Decembris. Felici progressu Auximanam administravit ecclesiam. Illud autem in suæ præcipuæ felicitatis partem LUCAS visus est posse connumerare, quod post tot secula latens S. LEOPARDI corpus, primi ejusdem civitatis Episcopi, ac Protectoris, sibi reperire contigerit, repertumque ubi modo quiescit honorificentissime collocare. Incidit autem hæc felix inventio in annum* 1479. 7. *Id. Novembr., de qua sic in monumentis ejusdem ecclesiæ scriptum legimus* (a).

„ *Sub annis itaque Christianæ salutis* 1479. *Ind.* 12., *tempo-*
„ *re SS. in Christo Patris, & D. nostri D. Sixti divina pro-*
„ *videntia Papæ IV., Præsidente vero in ecclesia Aux. Reveren-*
„ *diss. in Christo Patre* (b), *& D. D. Luca Carduccio* (c) *de*
„ *Florentia. Audiens itaque de S. Leopardo, prout supra nar-*
„ *rata sunt, maximam erga S. devotionem habuit, & per-*
„ *quirens cum suis Canonicis, si possibile esset d. corpus*
„ *videre; responsum fuit a Canonicis antiquioribus, quod mul-*
„ *ti alii Episcopi videre cupierunt, & tamen hucusque nul-*
„ *lus ausus fuit immittere* (d) *ad perquirendum, dicuntque*
„ (e) *forsan* (f) *advenerat hora clarificationis hujus glorio-*
„ *sissimi Sancti, quia legitur, quod folium non cadit de ar-*
„ *bore absque licentia Patris, qui in cœlis est. Postea*
„ *die* 30. *mensis Octobris suprad. anni infrascriptos D. Cano-*
„ *nicos convocavit post horam vespertinam R. D.* (g) *Ma-*
„ *rium Canonicum & Vicarium, D. Antonium de Leopardis*
„ *Archidiaconum Aux., D. D. Dominicum Bartholi* (h), *D. Cle-*
„ *mentem, D. Julianum, D. Carolum, D. Jacobum, & D. Ste-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) A. MCCCCXLII., quum ejus cœnobii prioratu cessisset Philippus de Vineis.

(2) Immo Sancti Savini Pisarum. Hoc autem munere dum LUCAS fungitur, monasterium suum ex Camaldulensi Congregatione ad Benedictinam *S. Justinæ* transferre studuit, irrito licet conatu. Exstant hanc in rem LUCÆ ipsius litteræ, die XII. mensis Aprilis a. MCCCCLXVI. perscriptæ, *Tom. VII. Annal. Camaldul. lib. 66. p. 278.*

(*a*) Contuli cum editis a diligentissimo Pannellio *p. 36.* (*b*) *Pater.* (*c*) *Lucas Carduccius.* (*d*) *manus mittere.* (*e*) *dicunt quod.* (*f*) *forsan nondum.* (*g*) videlicet dñum. (*h*) *Bartholomei.* (*i*) *Fran-*

„ *phanum Francigen* (*i*), *omnes Canonicos* (*k*) *dictæ Cathedra-*
„ *lis ecclesiæ*, *&* *congregati omnes insimul prope altare majus*
„ *S. Leopardi*, *Reverendiss. D. Episcopus suprad. sermonem fe-*
„ *cit exhortando omnes ad bene vivendum*, *&* *devotionem habe-*
„ *re erga Patrem nostrum sanctiss. Christi Confessorem Leopar-*
„ *dum*, *&* *qualiter ipse cupiebat videre corpus ejus*, *quando es-*
„ *set datum desuper*; *&* *ideo congregaverat eos insimul ad hoc*,
„ *ut unusquisque diceret votum suum*, *quia dicitur*, *quod vox*
„ *populi*, *vox Dei*. *Quid dicam? Omnes unanimiter uno ore*
„ *cum gemitibus & lachrymis expostulabant*. *Hæc audiens su-*
„ *prad. D. Lucas Episcopus licentiam dedit*, *&* *benedictionem*,
„ *ut cum omni devotione*, *&* *diligentia sanctissimum corpus per-*
„ *quireretur*; *hoc facto fores ecclesiæ clausæ fuerunt*, *&* *incon-*
„ *tinenti inceperunt suprascripti D. D. Canonici fodere retro*
„ *altare majus dictæ ecclesiæ*, *prout legenda testatur*: *fodiendo*
„ *devenerunt ad quoddam murum ex lapide cocto*, *arena*, *&*
„ *calcina factum ita durum*, *quod cum scalpellis* (l) *frangere*
„ *oportebat*, *&* *videntes altare majus ex marmore facto funda-*
„ *tum esse super hoc muro*, *deliberatum fuit ad modum unius*
„ *fenestræ illum solummodo aperire*; *hoc facto inventum fuit*
„ *culmen*, *sive summitas unius arcæ* (m) *saxeæ*, *&* *incontinen-*
„ *ti existimatum fuit illam esse arcam*, *ubi jacebat sanctiss. cor-*
„ *pus*. *Postea concavatum fuit magis subtus*, *&* *inventa fuit*
„ *arca saxea grandis*, *qua visa omnes gavisi fuerunt*, *deinde*
„ *deliberatum fuit*, *quod fieret una fenestrula in lapide*, *qui*
„ *super hanc arcam jacebat*, *ad hoc ut sanctiss. corpus videretur*,
„ *factaque* (n) *fenestrula*, *inventa fuerunt crypta* (o), *&*
„ *omnia signa* (p), *corpus magnum & integrum*, *prout &*
„ *nunc stat*, *&* *videri potest &c.* (q) *Suprad. Episcopus per*
„ *certos suos Canonicos hæc D. D. Prioribus mandavit intima-*
„ *ri* (r), *qui D. Priores hæc intelligentes nunciaverunt suis*
„ *civi-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(*i*) *Francigenam*. (*k*) *Canonici*. (*l*) *scarpellis*. (*m*) *arche*. (*n*) *facta qua*. (*o*) *inventum fuit*, *pro ut legenda*, (*&* *cryptam*. (*p*) *signa inventa fuerunt*. (*q*) *videri potest ab omnibus congruis temporibus*. *Nunc superest*, *ut de exultatione hujus sancte inventionis aliquid dicamus* (*revelatum fuit per certos canonicos magnificis dñis Prioribus*, *&* *hoc ex parte dñi Episcopi*; *qui dñi Priores tunc erant*, *qui tunc erant hoc nomine vocabantur*: *Pet. primus siquidem vocabatur*).
(*r*) *intimare*.

(*s*) *con-*

„ *civibus* (ſ), *& aſſociati cum maxima comitiva civium venerunt uſque ad locum, videnteſque tam miraculum* (t), „ *quod & patres eorum videre non potuerunt, cum lachrymis* „ *ex ſumma ſpirituali alacritate laudes Deo dederunt, & quia* „ *in antevigilia* (u) *hujus glorioſiſſimi Sancti hæc fuerunt,* „ *crevit & devotio, & alacritas: publicatum fuit omnibus per* „ *civit. degentibus, campanæ eccleſiarum* (x) *invitabant, populus jubilabat, infirmi congratulabantur, & multi ſurgebant,* „ *ſacerdotes ſacrificia Deo offerebant pro delictis, & peccatis* „ *populi: quid plura? in die feſtivitatis, quæ eſt 7. Novembris, fuit tam maxima multitudo populi utriuſque ſexus, tot* „ *vota, & miracula, quod uſque in hodiernum diem ſuper ejus* „ *ſepulchrum ſigna apparent. Accidit etiam quod infra octavam* „ *hujus glorioſiſſimi Sancti Reverendiſſ. D. Nicolaus Epiſcopus* „ *Madrucen. miſſus in Hungaria legatus rediens Romam habuit* „ *pernoctare in civit. Auxim., unde audiens inventionem S. corporis diſcedere noluit, niſi prius viſitaret eum* (y), *quo viſitato, judicavit eſſe tam clero quam populo theſaurum pretioſum, &c.*

„ *Actum &c.* (z) *Et ego D. Stephanus Joannis de partibus* „ *Franciæ Rector parochialis eccleſiæ S. Petri foris portam de* „ *Aux. pub. Imp. auctoritate not. & judex ordinarius præſens* „ *interfui, & ea rogatus ſcribere ſcripſi, & publicavi, ſignumque meum appoſui conſuetum &c.*

Loco ✠ *ſigni*

Sacrarium exornavit, ac pretioſa Eccleſiaſtici cultus ſupellectile mirifice adauxit in honorem S. Leopardi, quem nuper repererat. Quibus geſtis e vivis ſublatus eſt, inque media Cathedrali ſepultus cum hac ſimplici, nudaque pro meritis laudibus inſcriptione

LUCAS Carduccius Epiſcopus Auximanus.
MCCCCLXXX.

(De hoc conſule Scipionem Ammiratum in Famil. Florent. p. I. pag. 203. MANDOS.).

XXXVII.

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(ſ) *concivibus.* (t) *tam mirum.* (u) *antivigilia.* (x) *eccleſiam.* (y) omittit. (z) Quæ ſequuntur, non ſpectant ad inventionem ſacri corporis, ſed ad miracula, quæ in codice ante inventionem deſcripta ſunt.

XXXVII. *LUCAS LUCÆ successit, a Sixto IV. electus ann.* 1480. (1) *sedis annos* 4., *mortuusque est* 1484.

XXXVIII. *PARIS de Monte Marro, e Ficardo* (*) *Castello, demortuo LUCÆ suffectus est, Innoc. VIII. Pontifice Max. sedente, anno* 1484. 14. *Kal. Octob.. Eo Præsule, anno* 1488. *Innocentius VIII. insignem peccatorum remissionem indulsit visitantibus ecclesiam Sanctiss. Aununciatæ Ordinis Minorum extra Auxim: positam, cujus gratiæ documentum iis concepit verbis, in eaque insignes ecclesias, sanctorumque corpora, quæ in ea requiescunt civitate, recenset.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

„ *GLoriosus in sanctis suis Deus, qui ineffabili suæ pie-*
„ *tatis clementia supernæ patriæ cives, qui ex hujus*
„ *procellosi seculi fluctibus per constantiam fidei fideliter emer-*
„ *gentes ad æternam beatitudinem pervenerunt, inæstimabili de-*
„ *corat gloria claritatis. Sic nos illius vices licet immeriti ge-*
„ *rentes in terris, ejus imitatione sanctorum quomodolibet ec-*
„ *clesias ad honorem Altissimi, & sub illorum nominibus pie*
„ *dedicatas devota Christi fidelium veneratione celebrari læta-*
„ *mur, & ut hoc ferventius valeat adimpleri, visitantibus illas*
„ *spiritualis thesauri munera libenter elargimur, ut quorum*
„ *animæ lætantur in cœlis, eorum nomina celebrentur in terris,*
„ *& per hoc ipsis demum pro nobis intercedentibus ad cœlestis*
„ *aulæ præmia valeamus feliciter pervenire. Sane sicut fide di-*
„ *gno relatu accepimus, sunt in nostra civitate Auximana inter*
„ *alias quinque ecclesiæ præ cæteris insignes, in quibus diver-*
„ *sa corpora sanctorum, & beatorum variis miraculis quotidie*
„ *coruſ-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Clarissimi Annalium Camaldulensium auctores *Tom. VII.* ajunt, LUCAM Carduccium, de quo supra, visitasse corpus S. Sperandeæ, idque in ejus vita legi. Ego vero id unum in Sanctæ vita Firmi edita a. 1752. reperio, LUCAM Carduccii successorem anno 1482. Indulgentias concessisse S. Sperandeæ, aliorumque sanctorum in ejus templo adservatas reliquias visitantibus; qua de re ejusdem LUCÆ litteræ exstant libri, quem appellabam, *pag.* 87.

(*) Hodie *Fidardo*. Sed & PARIS non *de Monte Marro*, verum *Montemannus*.

„ *coruscantia requiescunt, & aliæ reliquiæ plurimorum sancto-*
„ *rum, & sanctarum honestissimo cultu, & veneratione digniss-*
„ *sima coruscant, quæ quidem eccl. propter longi temporis ve-*
„ *tustatem, & aliis de causis, sicut relatione prædicta percepi-*
„ *mus, magna reparatione indigere noscuntur, ad quam facien-*
„ *dam pia Christi fidelium suffragia videntur plurimum esse op-*
„ *portuna. Nos cupientes, quod quinque ecclesiæ prædictæ, vi-*
„ *delicet ecclesia Cathedralis, in qua corpora Ss. Leopardi, Vi-*
„ *taliani, Benvenuti Pontificum & Confessorum, Florentii,*
„ *Diocletiani, Victoris, Philippi, Maximi, & Coronæ Virgi-*
„ *nis, martyrum, Sisinii martyris, & B. Joannis Episcopi,*
„ *& aliorum plurium Ss. reliquiæ requiescunt; & ecclesia mo-*
„ *nasterii S. Nicolai, eccl. S. Francisci, eccl. S. Marci, & eccl.*
„ *Annunciatæ Minorum Observantiæ S. Francisci extra muros*
„ *dictæ civitatis, congruis honoribus frequententur, & in suis*
„ *structuris, & ædificiis valeant reparari, ac corpora sanctorum,*
„ *ac beatorum prædictorum pia ac digna fidelium memoria cele-*
„ *brari, ac eo libentius devotionis gratia ad illa confluant, quo*
„ *ex eodem ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se*
„ *refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri &*
„ *Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singu-*
„ *lis fidelibus utriusque sexus, qui ecclesiam prædictam Annun-*
„ *ciatæ extra muros in diebus indulgentiæ hujusmodi, incipienti-*
„ *bus a die sextæ feriæ hebdomadæ S., & duraturis per totam*
„ *diem Martis Paschatis Resurrectionis Dominicæ, in aliquo ip-*
„ *sorum dierum visitaverint annuatim, & ad reparationem stru-*
„ *cturarum ecclesiarum prædictarum manus porrexerint adjutri-*
„ *ces, plenariam remissionem omnium peccatorum suorum aucto-*
„ *ritate Apostolica tenore præsentium elargimur. Et ut fideles*
„ *ipsi ad dictas ecclesias pro indulgentiis hujusmodi consequen-*
„ *dis pro tempore confluentes, illas pura mente, & sincero cor-*
„ *de consequi valeant, volumus, & eadem auctoritate concedi-*
„ *mus, quod Vicarius generalis in spiritualibus Venerab. fratris*
„ *nostri Episcopi Auximani, cum consensu Gubernatoris provinciæ*
„ *Marchiæ Anconitanæ pro tempore existentis, tot probos, & ido-*
„ *neos seculares, vel Ordinum quorumcumque regulares, quot eis*
„ *necessarii videbuntur, deputare possit, ipsique probi sic depu-*
„ *tandi eorumdem visitantium, & confiteri volentium confessio-*
„ *nes audire, & eos ab omnibus, & singulis peccatis, criminibus,*
„ *exces-*

„ *excessibus, & delictis in omnibus casibus, præterquam sedi*
„ *Apostolicæ reservatis, absolvere, ac pœnitentiam salutarem in-*
„ *jungere, nec non vota quæcumque per eos emissa, quæ com-*
„ *mode servari non possent, ultra marina, ac BB. Petri & Pau-*
„ *li, atque Jacobi Apostolorum, & religionis, ac continentiæ*
„ *votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, &*
„ *ipsos ab eorum observantiis similiter absolvere possint, &*
„ *valeant. Volumus insuper quod dilectus filius D. Stephanus*
„ *Canonicus dictæ Cathedralis ecclesiæ, & Rector parochialis*
„ *ecclesiæ S. Petri foris portæ, quoscumque homicidas etiam vo-*
„ *luntarios a reatu homicidii hujusmodi in foro conscientiæ dum-*
„ *taxat solus, & non alii deputandi supradicti, absolvere, eis-*
„ *que pœnitentiam salutarem injungere possit & valeat, alias*
„ *prout superius continetur. Non obstantibus, &c. præsentibus*
„ *per tres annos tantummodo duraturis. Nulli ergo &c. Si quis*
„ *autem &c.*

„ *Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Domini* 1480.
„ *VIII. Kal. Martii Pontificatus nostri* 5.

Loco ✠ *plumbi*

Hieron. Balbanus.

In sua patria decessit, ibidemque sepultus fuit ann. 1498. *die* 13. *mensis Septemb.* (1). (Fuit hic ex familia Ghirardella ejusdem castri Fidardi, ubi ejusdem nomen, cognomen, & insigne. Corpus quiescit in eodem castro in sacristia ecclesiæ Ord. Min. Conventualium, & vulgo vocatur: *Beatus Paris.* MANDOSIUS).

XXXIX. *ANTONIUS Ugolinus de Sinibaldis Auximanus, utriusque juris peritus, Cubicularius, ac familiaris Card. Riarii, cum in Alexandri VI. Pontificis gratiam commendatione doctrinæ se maxime insinuasset, ab eodem declaratus est Auximanus Præsul anno* 1498. *die* 19. *mensis Octobris. Hic sub II. Julio Concilio Lateranensi interfuit* (an. 1512.), *quod demum a Leone X. absolutum est. Anno vero* 1515. *cum libens, volensque Episcopali munere abiisset* 13. *die mensis Junii, Romam profe-*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Superiore autem anno MCCCCXCVII. die XVII. Octobris Cinguli quum esset, S. Sperandeæ corpus ex vetere arca in aliam solemni ritu transtulit, quod docet Felix Marini Notarius in instrumento edito in libro alias indicato, *Istoria della Vita di S. Sperandia Vergine, p.* 322.

profectus, *ibidem* 4. *Kalendas Julii e vivis eximitur*. *Cujus corpus Auximum relatum in Cathedrali sepulcrum accepit*.

XL. *JO. BAPTISTA Sinibaldus ex patrui abdicatione a Leone X. Episcopatum accepit anno* 1515. *die* 13. (18.) *mensis Junii; interfuitque & ipse Lateranensi Concilio* (anno 1515.). *Episcopale palatium a fundamentis extruxit*, *decessitque ann.* 1547., *de quo*, *deque ANTONIO patruo in Cathedrali hoc spectatur cenotaphium*, (a nobis emendatum, quum apud Ughellium minus esset accurate descriptum):

D. O. M.
ANTONII SINIBALDI. ET
JŌIS BAPTISTÆ EJUS EX FRATRE.
NEPOTIS EPŌRUM AUXIM.
MEMORIÆ CŌSU
LERE VOLENTES
CAMILLUS NEAPOL.^{O} ET ALEX.^{R}
VIRI. EX. FAMILIA. PIENTISS.^{I}
ILLOR. OSSA EX TUMULIS SUBLATA
PIO PII III. P. M. EDICTO
HIC HUMARI CURARUNT
A. D. M. D. LII.

QUORUM PRIMUS
CREDITO SIBI GREGE
PER XVII. ANN. FŒLICISS.^{E}
CUSTODITO. TEMPLO HOC
TESTUDINIBUS ORNATO
OBDORMIVIT IN DNO
A. SAL. M. D. XV.
ÆTATIS AUT. SUÆ LII.

ALTER VERO
EODĒ MUNERE PER XXXII. A.
SANCTISS.^{E} FUNCTUS
EPISCOPIO A FŪD. EXÆDIFICATO
ANNŪ VITÆ AGĒS LIIII.
OBIIT A. D. M. DXLVII.

XLI. *CYPRIANUS Senilis Anconitanus, in ejus fæculi doctis fecundiffima fama numeratus, Pauloque III. Pontifici in paucis carus, ab eodem Pontifice creatus* 1547. *die* 13. *menf. Maji. Quatuor tantum annos ecclefiam illam adminiftravit ; deceffitque* 1551. (1). *Jacet in fua Cathedrali cum hoc epitaphio*

CYPRIANUS Senilis Ancon. cum Latinis
Tum Grecis literis præftantiff.
Ac Pauli III. Pont. Max.
Ob fervitutum meritis dignitate
Infignito
Hieron. moeft. F. P.
Obiit anno Domini M. D. LIX.
Tertio Kalend. Augufti ætatis vero
LXVIII.

XLII. *BERNARDINUS* (1) *de Cuppis Roman. nepos Dominici Card. Tranenfis, a Julio III. fubleƈtus eft ann.* 1551. (2) *die* 24. *menfis Julii: Auximanam rexit ecclefiam annos* 23. (3), *proveƈtiorique feneƈtute pulfatus Epifcopale onus depofuit, tametfi poftea per aliquot annos vitam protulerit* (4).

XLIII. *CORNELIUS Termanus* (*al.* Firmanus) *a Macerata, fub Pio V. Cæremoniarum magifter*, (I. U. D., & Archipref. ecclef. Ss. Juliani & Celfi de Urbe), *eleƈtus eft* 1574. *die* 15. *menf. Januarii ; deceffit autem* 1588. (1).

XLIV.

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) *Obiit* 3. *Kal. Aug.* 1559. *ÆT.* 68.. *Affervatur in Cathedrali cum epitaphio præfatum mortis tempus indicante. Ante Epifcopatum erat Anconitanæ ecclefiæ Archipresbyter, Clericali tamen tantum charaƈtere infignitus.* LUCENTIUS.

(1) *Rifius de Cuppis*, fic enim is femet appellat in inftrumento, quo a. 1572. 1. Februarii Abbatem S. Mariæ caftri Baldi Joh. Hieronymum Florentium conftituit.

(2) Quum ergo 1559. obierit CYPRIANUS, ut anno 1551. BERNARDINUS Auximanum Epifcopatum iniret, debuit eo illum anno CYPRIANUS abdicare.

(3) Interfuit Tridentino Concilio, Synodumque ipfe coegit, quæ anno MDLXVII. edita fuit.

(4) *Ita Ughellus. Sed in aƈtis legitur difpenfatus fuper defeƈtu natalium, de foluta genitus & Jo. Dominico, & huic ecclefiæ adminiftrator attributus* 24. *ætatis, donec ad* 27. *perveniret.* LUCENT.

(1) *Per hæc tempora Auximanum Epifcopum fuiffe Marcellum Francolinum Bodienfem affirmat Auguftinus Roffi in hift.* Montis Bodii p. 110.. *Verum horum Præfulum feries hic non interrupta diƈtum Marcellum nullo paƈto admittit, atque Auguftinum arguit falfitatis.* MANDOS.

XLIV. *THEODOSIUS Florentius, nobilis Auximanus, Pii V. olim cubicularius, secretariusque magnæ æstimationis, Canonicusque S. Petri in Vaticano. Hic post Pii V. Pontificis excessum cum ambitiosas spes suas, fortunamque damnasset, iterum excolendis literis appulit animum, sed eidem literati otii tranquillitatem Sixtus V. invidisse visus est, cum illum ad Episcopatum Auximanum vocasset ann.* 1588. *die* 27. *mensis Julii* (1). *Sa-*

O 2 *cras*

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) In Dissertatione Italica, quam Auximi habui, quæque primum T.XLVI. *Collectionis Calogerianæ*, deinde vero in *Excurs.* meis *Litterar. per Italiam pag.* 270. edita fuit, hæc me scripsisse memini: " L' *Ughelli*, e dopo lui il vostro „ *Martorelli* mettono da Sisto V. eletto Monsig. *Teodosio Fiorenzi* il dì 27. „ Luglio 1588.. Ma in questo giorno diede il Papa bensì a detto Monsig. un „ breve, nel quale facoltà concedeagli d' entrare al possesso della sua Chiesa „ innanzi, che spedite avesse le Bolle. Peraltro fino dal dì 27. Aprile di „ quell' anno era quegli dal Pontefice stato preconizato nel Consistoro segreto „ Vescovo d' Osimo. Ecco come Sisto V. parli in una sua lettera da me ve- „ duta. *Hodie* (datata è la lettera del dì 27. Aprile di detto anno) *in Con-* „ *sistorio nostro secreto, ut moris est, ecclesia Auximana tunc per obitum bonæ* „ *memoriæ CORNELII Episcopi Auximani extra Romanam Curiam defuncti Pa-* „ *storis solatio destituta, de persona dilecti filii THEODOSII Florentii canonici* „ *Basilicæ Principis Apostolorum de urbe canonici & notarii nostri, ac præfecti* „ *domus dilecti filii nostri Alexandri S. Eustachii Diaconi Cardinalis Montalti no-* „ *stri secundum carnem ex sorore pronepotis, de fratrum nostrorum consilio, aposto-* „ *lica auctoritate providimus, ipsumque illi in Episcopum præfecimus* „. Putabam igitur Ughellium fortassis deceptum fuisse, quod 27. Julii per Sixtum THEODOSIO Electo Auximano licuit ante Bullarum expeditionem bonorum suæ ecclesiæ possessionem adprehendere.

Jam vero ea nunc mihi revocanda esse video, & plane fatendum, diem illam 27. Aprilis Amanuensium incuria perperam fuisse exemplo, quod ego vidi, Sixti litterarum adscriptam. Nam CORNELIUS THEODOSII decessor in vivis adhuc erat non die modo 27. Aprilis, verum etiam 4. Julii ejusdem anni 1588., ut colligitur ex actis Pamphyli Cesani Auximatis notarii, quæ in publico urbis Archivo adservantur. Ibi enim *pag.* 104., & die, quam diximus, 4. Julii CORNELII procuratores ejus nomine fatentur, sese recepisse pensionem, quam conductores molendini mensæ Episcopalis debebant. Quid? quod apud eumdem Pamphylum, *pag.* 98., Auximates Canonici, comperta CORNELII morte (nam is Maceratæ obiit in patria sua), *die Mercurii 6. Julii* 1588. Vicarium Capitularem constituunt, simulque decernunt, duos viros Maceratam mittendos *ad condolendum de morte Rmi D. CORNELII cum Ill. D. Hieronymo Firmano ejus germano*. Sed & non ante diem 18. ejusdem mensis, aut certe paullo ante, Canonicis innotuit, THEODOSIUM demortuo Antistiti successorem datum; nam ea die comitia ipsi habuerunt, nempe ut statuerent de munusculis, quibus recens *Electum* colere possent, quemadmodum in iisdem actis *pag.* 110. notatum legitur. Denique ibidem habetur, *pag.* 114., *die Sabbati penult. mens. Julii* 1588. Petrum Philippum Florentium Archidiaconum THEODOSII nomine cathedræ possessionem iniisse. Ex quibus omnibus *Theodosiani* Episcopatus initia recte ab Ughellio consignata fuisse perspicuum est.

tras BENVENUTI Episcopi exuvias e superiori parte Cathedralis sub Confessione solemni ritu transtulit, ubi alia Sanctorum corpora venerabiliter requiescunt. Id docet in marmore hæc exarata inscriptio

S. BENVENUTI corpus ex superiori
Templo
Ad venerabiliorem cultum
THEODOSIUS Florentius Episcopus
Auxim.
Huc transferendum
Curavit
Anno Domini M. D. XC.
Die XI. mens. Jul.
Pont. Sixto V.

Idem Florentius B. Virginis Mariæ sacellum in Cathedrali ornavit, & doravit, sic ibidem proloquente inscriptione.

Ex Testamento
THEODOSII Florentii Auximani
Sacellum hoc Deiparæ Virgini
Dicatum
Ornatum & dotatum
Anno Domini
M. D. LXXXXI.

In ea dignitate vix tres annos exegit, mortuusque deinde est 1591. *die* 17. *mensis Decembris.* (Hujus meminit cum laude Hieronymus Fabri in sacris monumentis Ravennatibus par. 1. pag. 47. MAND.). (" *Hic etiam altare majus, & sacellum corpo-*
" *ris Christi construxit. Quatuor adolescentes instituit ex Au-*
" *ximatibus, qui censu suo literariam palæstram excurrerent.*
" *Florentia familia apud Auximates antiquissima est, Floren-*
" *tiumque Martyrem hujus familiæ fuisse asserit Baldus in Vi-*
" *tis Ss. Auximi ex Metaphraste. Et usque nunc antiquum*
" *servat splendorem rerum opulentia, & locorum utili dominio.*
" *THEODOSIUS cum B. Pio proxime famularetur, Abbatiam Ju-*
" *rispatronatus Florentiorum erexit auctoritate Rom. Pontificis,*
" *eique soli perpetuo immediate subjici declarari fecit, & defi-*
" *ciente Florentiorum stirpe, in jus nominandi subrogavit Remp.*
" *Auximanam.* LUCENT.)

XLV. *AN-*

XLV. *ANTONIUS MARIA Gallus Auximanus e nobili familia ortus, jam inde ab adolescentia Romam profectus in aulicis honorariis Card. Montalti, qui postea Sixtus V. appellatus est, præcipuus fuit, eidemque deinde facto Pontifici magno usui fuit, ab eodemque Canonicus Vaticanæ ecclesiæ creatus est, nec multo post Episcopus Perusinus. Mox & S. Agnetis in Agone presbyter Cardinalis Æmiliæ provinciæ legatione prudentissime functus est, sanctæque Lauretanæ Domus olim fuit Protector. Cæterum post excessum Florentii ad Auximanam ecclesiam translatus est anno* 1591. *die* 19. *mensis Julii, quam quidem ecclesiam adeo prudenter rexit, atque munifice, ut illam multis muneribus, Ecclesiasticoque cultu ditaverit, inque Lauretanam Domum ea contulit ornamenta, quæ purpuratum Principem viderentur decere; utque erga Lauretanos suam pietatem plane ostenderet, in tenuiorum favorem Montem pietatis fundavit. Decessit autem sub Paulo V., cum esset Card. Episc. Ostiensis, ac Veliternensis, sacrique Collegii Decanus, anno* 1620. 30. *mensis Martii, illiusque cadaver e templo Jesu Salvatori dicato in Aram Cœli delatum, in medio sacrario cum hoc epitaphio tumulatum est*

ANT. MARIÆ Card. Gallo Sacri Collegii Decano, Patritio, & Episcopo Auximano, almæ Domus Lauretanæ Protectori. Petrus Stephanus Gallus ex Testamento hæres patruo Benem. posuit (1).

In

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Sic refingenda Inscriptio est ad archetypum marmor ex Galletii Inscriptionibus Picenis *p.* 42.

ANT. MARIÆ CARD. GALLO
SAC. COLL. DECANO
PATRICIO ET EPO AUXIMANO
ALMÆ DOMUS LAURETANÆ
PROTECTORI
PETRUS STEPHANUS GALLUS
EX TESTAMENTO HÆRES
PATRUO BENEMEREN
POSUIT

In ecclesia vero Auximana hoc ei cenotaphium erexerunt Canonici, quod emendatius quam apud Ughellium extet, proferimus:

ANT. MARIÆ CARD. GALLO
PATRICIO ET EPO
AUXIMANO
ALMÆ LAURETANÆ DOMUS
PROTECTORI AC
SACRI COLLEGII DECANO
LEGATIONE FLAMINIÆ
ALIISQ. PRÆCIPUIS ET
MUNERIBUS ET HONORIBUS
PERFUNCTO AC PRÆ
CLARIS MERITIS
ONUSTO
CAPITULUM ET CANONICI OB
SINGULARIA IN SE SE
BENEFICIA
VIRTUTUMQ. PRÆSTANTIAM
MOERENTES SED MERITO
POST EJUS OBITUM
PASTORI PARETI PATRONO PP.
A. D. M. DC. XX.

In eadem ecclesia alia ejusdem legitur memoria ex marmore

ANTONIUS MARIA Tit. Sanctæ Praxedis
S. R. E. Card. Gallus
Episcopus Auximanus
Jesu Christi coronæ cruentam
Adhuc spinam pio labore quæsitam
Patriæ charissimæ exhibuit.

XLVI. *AUGUSTINUS Card. Galaminus, vulgo vocatus Aræ Cœli Cardinalis, Ordinis S. Dominici, Præsul Auximanus, Card. Gallo successit anno 1620. die 29. mensis Aprilis. Natus est AUGUSTINUS in Brisichella Flaminiæ oppido, humilibus quidem parentibus, sed adeo vivida, nobilique indole, ut gentilium*

lium suorum progressione solidarum virtutum obscuritatem omnem deterserit, atque ad miraculum illustrarit; quippe cum apud Fratres Prædicatores Faventiæ Dominicanum institutum fuisset amplexus, adeo brevi profecit, ut nobilium facultatum intima scientia imbutus, gradus omnes tum literariis, tum Religionis suæ dignitatum felicissime ascendit. Siquidem, ut interim inferiores brevitatis ca[illegible] [illegible]mamus, S. Palatii Magister creatus [illegible] Generalis sui ordinis Magister 1608., quo gravissimo munere fungens, eum Parisiis sui Ordinis generale Capitulum celebraret, a Paulo V. purpuratus Senator renunciatus est anno 1611. die 17. mensis Augusti; reversusque Romam omnes, qui illic celebrari solent de rebus fidei, deque moribus cœtus suo suffragio juvit, insignitusque est titulo S. Mariæ de Ara Cœli die 14. mensis Novembris, factusque Lauretanus Episcopus illuc se transtulit purioris vitæ tranquillitate fruiturus, cum Paulus V. ad Aximanum illum traxit Episcopatum, cujus gregem numquam nisi gravissimis distrabentibus causis vel tantisper deseruit, ratus nulla re magis, quam Pastorum præsentia subditorum urgeri salutem. Verum Galaminus cum purpura baudquaquam monasticos demutavit mores, sed se ipso semper cum dignitate major effectus, nonagenarius etiam, ac plane capularis senex, diu vixit sui ordinis decus, cæterorum Episcoporum speculum, lumen Senatus, & Togæ. Obdormivit in Domino mense Septemb. die sexta anno 1639., sepultusque in Cathedrali (1). Hoc cenotaphium ad ejus tumulum, & grati animi monumentum posuit sacra Congregatio de propaganda fide, cujus Ughellianam editionem cum marmore ipso comparari Romæ curavimus.

D. O. M.
F. AUGUSTINUS S. R. E. Presbyter Card. de Aracœli
Ex Galaminia, & Recuperata
Familiis antiquis, & honestis
In terra Brisighellæ ortus
Ex Galigaria Florentina oriundus
Prædicatorum ordini ab adolescentia adscriptus
Per omnes ejusdem ordinis gradus

Ad

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Immo ad S. Marci in Aximate FF. Prædicatorum templo.

Ad Commiſſariatum Sancti Officii
Ad Magiſterium Sacri Palatii
Ad Generalatum Dominicanorum evectus
Exinde ad Cardinalitiam purpuram
Ad Epiſco[illegible]um Recineten. & Lauretanum
Ac demum ad [illegible]manum promotus
Magna Sanctimoniæ fama [illegible] obiit
Hærede ſcripta
Sacra Congregatione de propaganda fide
Quæ ut tantæ Beneficentiæ gratitudo
Tanti viri memoria
Ac tantum virtutis exemplum
Poſteror: exemplo & ſtimulo conſervaretur
In hoc ſacello
Ex ſuprema ipſius Teſtatoris voluntate ornato
Præſens voluit extare monumentum
Curantibus
Marcello Cardinale Lante Epiſcopo Oſtienſi
Bernardino Cardinale Spada Epiſcopo Albanenſi
Petro Maria Diacono Cardinale Burgheſio
Executoribus teſtamentariis
Natus anno ſalutis M. D. LII. obiit M. D. C. XXXIX.

Sepulcrali autem lapidi inſcripta hæc tantummodo ſunt

Oſſa
Fr. Auguſtini
S. R. E.
Presbyteri Card.
Tituli
Sanctæ Mariæ
De Aracœli
Epi Auximatis

XLVII. *HIERONYMUS Veroſpius Romanus, Diaconus Card. ex Romanæ Rotæ Auditore creatus ab Urbano VIII. die* 16. *Novemb.* 1641., *pauloque poſt Auximatib. Epiſc. deſignatur* 10. *Feb.* (cum eſſet Presbyt. Card. tit. S. Agnetis), *cujus virtutes Fabritii Card. patrui præmortui redivivam imaginem , nobi-*
lem-

lemque memoriam præseferunt. *Deceſſit* 15. *Jan.* 1652. (1).

XLVIII. *LUDOVICUS Bettus*, *nobili familia Florentina natus*, *ab Innocentio X. Pont. Max. Auximanus Epiſcopus declaratus eſt die* 1. *Julii* (17. Junii) *ann.* 1652. (" *Hic non fuit* „ *patria Florentinus*, *ſed nobili ex Marchionibus Bettis Anconi-* „ *tana familia natus*. (Vide Saracinum in Notit. hiſt. Anconæ „ pag. 522.). *Obiit Bonus Paſtor* 27. *Octob.* 1655. *Sepelitur apud* „ *S. Dominicum*. *LUCENT.*)

XLIX. *ANTONIUS Bichius*, *Patritia & nobili gente natus Senis in Etruria*, *ex Epiſcopo Ilcinenſi fit Auximanus Præſul ab Alexandro VII. Pont. Max. die* 16. (1) *Octob.* 1656. *Eccleſiam ſibi commiſſam vigilanter ad pietatem erudit.* (2).

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) Confer de eo Guarnaccium.

(1) 6. Martii. LUCENT.

(2) *Anno vero* 1659. 10. *Novemb. Presbyter Card. ab eodem Alexandro renunciatus eſt: indeque Legationem Urbini elegantiſſime obivit*, *Carthuſiani Ordinis tutelaris*, *& multarum in urbe Congregationum unus ex Patribus*. *Quatuor Summorum Pontificum electionem ſuo ſuffragio juvit*, *Clementis IX.*, *Clementis X.*, *Innocentii XI.*, *& Alexandri VIII.*. *Retenta jure adminiſtrationis eccleſia Auximana*, *dimiſſoque titulo Presbyterali S. Mariæ Angelorum*, *ad Præneſtinum Epiſcopatum gradum fecit die* 3. *Martii* 1687. *Denique ſenio & morbo ex hydrope conſumptus*, *obiit Auximi in ſuo Epiſcopali palatio die* 21. *Februarii an.* 1691., *Romana ſede vacante*. *Poſt ſolemnes inferias ſepultus eſt in ſua Cathedrali*. *COLETUS*.

Addita hæc fuit ſepulcro epigraphe:

D. O. M.
ANTONIO BICHIO SENENSI
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO PRÆNESTINO
IN BELGIO OLIM ET COMITATU BURGUNDIÆ
INTERNUNTIO APOSTOLICO
MOX IN SENENSI DITIONE ILCINENSI EPISCOPO
POSTMODUM AB ALEX. VII. AVUNCULO
AD AUXIMATEM HANC ECCLESIAM TRANSLATO
SACRA PURPURA INSIGNITO
A LATERE DEMUM AD URBINATES LEGATO
ANNIBAL COMES NEPOS ET HÆRES
VIRO OPTIMO
PATRUO AMANTISSIMO
EX TESTAMENTO POSUIT
OBIIT ANNO SALUTIS MDCXCI.
ÆTATIS SUÆ LXXVII.

„ L. *OPITIUS Card. Pallavicinus absolutus a vinculo Spoletanæ ecclesiæ, huic desponsatus est ab Innocentio XII. „ 8. Augusti 1691., cum antea eidem ad Petri sedem promovendo suo suffragio profuisset. De quo magis diffuse, cum „ de eo redibit sermo in Spoletanis.* LUC.) (Obiit autem Romæ mense Februario (1) 1700. COL. (2).

„ LI. *MICHAEL ANGELUS tit. Ss. Quirici, & Julittæ Presb. „ Cardinalis de Comitibus, Romanus, creatus Card. a SS. D. N. „ Clemente XI. 7. Junii 1706., præfectus in Episcopatum Auximanum est 28. Junii 1709.* (1)*; deinde translatus ad Episcopatum ecclesiarum Viterbiensis & Tuscanensis* 1. *Augusti* „ 1712. COLET. (2).

LII. 110

ADNOTATIONES NOSTRÆ.

(1) 9. Februarii.

(2) Ab ejus obitu Auximatium ecclesia biennio a Vicario Capitulari administrata fuit; tum ab anno 1702. ad 1706. a Vicario Apostolico *Joh. Baptista Bassio* Taurinensis Metropolitanæ ecclesiæ Canonico, qui anno deinde 1708. Anagninus Episcopus dictus est. XXIII. Decembris ejus anni 1706. Auximum venit Cardinalis *Ferdinandus de Abdua* legationibus Ravennate, Ferrariensi, & Bononiensi magna sui nominis commendatione perfunctus, atque octodecim fere mensibus ecclesiam Auximatem rexit. Hunc excepit mense Majo anni MDCCVIII. *Abbas Joh. Franciscus Feranzonius*, qui Cardinalis de Comitibus deinde ad annum MDCCXII. Vicarius generalis fuit.

(1) Id quidem falsum est. Quamvis enim & me lateat, qua revera die MICHAEL ANGELUS eccl. Auximatis Episcopus renunciatus fuerit, hoc tamen scio, eum a die usque 1. Decembris a. 1708. Ulysippone, ubi ipse Apostolicum Nuntium agebat, chirographum subsignasse, quo mandatum dabat, ut ejusdem ecclesiæ possessio suo nomine iniretur, *cum*, ut ipse loquitur, *a SS. D. N. Clemente Divina providentia PP. XI. de Episcopatu ecclesiæ Auximanæ vacante provisi fuerimus &c.*. Porro litteræ Apostolicæ de hac ineunda possessione datæ sunt 30. Januarii die an. 1709.. Possessio autem inita est die 7. Februarii ejusdem anni ab *Johanne Francisco Peranzonio*, qui eamdem ecclesiam Vicarius Apostolicus moderabatur. Constant hæc omnia ex actis Brandimartis Antonii Blanconi Episcopalis Cancellarii, quæ per biennium illud confecta sunt, *pag.* 23. *& seqq.*

(2) Clemente autem XI. vita functo Pontifex summus renunciatus est, Innocentii XIII. adscito nomine. Canonicos honoribus, & templum argentea lampade, atque aliis muneribus decoravit. Quod vero Canonici perenne grati erga Pontificem beneficentissimum animi exstare in sua ipsorum aula voluerunt, monumentum, hujusmodi est.

INNOCENTIO XIII. PONT. OPT. MAX.
AUXIMANAM ECCLESIAM
QUAM OLIM EPISCOPUS DECORAVERAT
IN SUMMO VATICANI FASTIGIO

NOVIS

ADDITIO NOSTRA (1).

LII. HORATIUS PHILIPPUS CARD. SPADA, Lucensis Patritius & Episcopus, ad Auximanam ecclesiam, quam a MICHAELE ANGELO de Comitibus abdicatam Vicarii Apostolici nomine Abbas *Christiani* Fabrianensis administraverat, translatus est XVI. Kal. Februarii anno MDCCXIV.; eam autem decennio præclaris exemplis institutisque moderatus est. Ad exempla pertinet divini cultus amplificandi studium eximium, & singulare, quo factum, ut argenteas thecas, in quibus Sanctorum reliquiæ populo proponendæ includerentur, argenteum item sanctæ Martyris Theclæ simulacrum, ad usum tractationemque sacrorum magnificam supellectilem, novas & elegantes Canonicorum sedes in principe templo largissimis sumptibus procurarit. Illud quoque summam ejus pietatem in Deiparam Virginem luculenter declarat, quod anno MDCCXX. XIV. Kal. Octobris illius imagini apud Auximates celeberrimæ ex Canonicorum Vaticanæ Basilicæ præscripto auream coronam imponi jusserit celebritate maxima, & incredibili pompa. Porro institutorum ejus ratio hæc fuit, ut Ecclesiastica disciplina firma consisteret, levarentur miseriis pauperes, atque animarum saluti diligentissime consuleretur. Quamobrem diœcesanam Synodum celebravit, in qua prudentissimis sanctionibus editis mores conformarentur; xenodochium satis angustum, quo pluribus pateret, amplificavit, multaque supellectile instruxit, parœciarum numerum auxit contractis finibus quarumdam latioribus, quam ut, qui illis præerant, possent populi commodis utilitatique servire. Neque illud prætereundum,

NOVIS HONORIBUS PROSEQUUTO
CAPITULUM ET CANONICI
OB PONTIFICALIS CAPPÆ ORNAMENTUM
IN IPSO SACRI PRINCIPATUS LIMINE
INUSITATA MUNIFICENTIA
SIBI ULTRO DELATUM
PERENNE GRATI ANIMI MONUMENTUM
POSUERE
ANNO DOM. MDCCXXI.

(1) Qui deinceps sequuntur Episcopi, eos ipsi addidimus.

ex quo urbi decus, litteris incrementum, diœcesi universæ fructus uberrimus dimanavit. Fridericus & Mutius de Campanis ædium suarum copiosique patrimonii heredes scripserant sanctimoniales, quas Capuccinas appellant, eo nomine, ut illarum asceterium Auximi excitaretur. Verum earumdem cœnobio sub idem fere tempus a Benedicta Viganega exstructo, quum videretur e re non esse, ut alterum illud constitueretur, ac præterea Viganega se hocce exædificato testamentarias Campanorum tabulas implere voluisse sancte adfirmasset, SPADA, quo erat incensus, publicæ utilitatis studio, a Clemente XI. P.O.M. a. MDCCXVIII. postulavit, impetravitque, ut Campana hereditas Collegio, in quo juventutem bonis artibus & disciplinis instituere liceret, adscriberetur. Episcopale autem Seminarium, cui Collegium hocce unitum est, perpetuam eximii beneficii memoriam inscripto lapidi commendavit. Reddo epigraphen.

D. O. M.
HAS ÆDES
A FRIDERICO ET MUTIO DE CAMPANIS
PATRITIIS AUXIMATIBUS
SANCTIMONIALIUM CŒNOBIO INSTITUENDO
UNA CUM AMPLO PATRIMONIO LEGATAS
PIO EORUM VOTO BENEDICTÆ VIGANEGÆ
MUNIFICENTIA PRÆOCCUPATO
APOSTOLICA SEDES
AD INFORMANDAM BONIS MORIBUS
ET ARTIBUS JUVENTUTEM
HÆREDITATIS JURE TRANSCRIPTO
IN COLLEGIUM EPISCOPALI SEMINARIO UNITUM
PUBLICÆ UTILITATIS INCREMENTO CONVERTIT
HORAT. PHILIP. S. R. E. PRESB. CARD. SPADA
EPISCOPUS AUXIMANUS
PERENNE POSUIT MONUMENTUM
ANNO SALUTIS MDCCXVIII.

Romam autem quum adiisset optimus Cardinalis, eum IV. Kal. Julias a. MDCCXXIV. morte sublatum Auximates flevere. Dum autem de novo illis dando Episcopo Romana sedes cogi-

cogitaret, Vicarius Apostolicus apud eos dictus fuit, quem SPADA Vicarium Generalem constituerat, *Paullus Franciscus Finuccius*. Consule de Card. SPADA etiam Guarnaccium *Tom. II. histor. Pontif. & S. R. E. Card.*

LIII. AUGUSTINUS PIPIA natione Sardus de PP. Prædicatorum familia, qui sacræ Indicis Congregationi a secretis, ac totius Ordinis sui supremus Magister fuerat, a Benedicto XIII. in Purpuratorum Patrum Collegium adscriptus, atque Auximati ecclesiæ datus Episcopus fuit pridie Kal. Januarii anno MDCCXXIV.. Porro quum idem Benedictus XIII. Romanum Concilium anno sequente MDCCXXV. habuisset, PIPIA dioecesana coacta Synodo illius decreta proposuit, servarique jussit. Ipso autem illo anno MDCCXXV. factum est, ut Benedictus Cingulum civitatis & Episcopalis cathedræ ab Auximate distinctæ jure donarit. Utramque igitur ecclesiam quum duobus pl. minus annis PIPIA sanctissime rexisset, ultro abdicavit; deinde vero Romæ, ad quam urbem redierat, pie decessit XXI. Februarii a. MDCCXXX., in S. Mariæ supra Minervam sepultus, atque hoc epitaphio a suis exornatus.

D. O. M.
F. AUGUSTINO PIPIA NATIONE SARDO
ORDINIS PRÆDICATORUM
SAC. CONG. INDICIS. SECRET.
ET TOTIUS ORD. MAG. GEN.
S. R. E. HUJUS TEMPLI TIT. PRESB. CARD.
ET AUXIMANÆ ECCLESIÆ ANTISTITI
QUI EA DIMISSA ROMÆ OBIIT
XXI. FEBRUARII MDCCXXX.
ÆTAT. SUÆ LXIX.
ET IN PROXIMO FF. SEPULCRO
TUMULARI VOLUIT
NE TANTI VIRI IN THEOLOGICA SCIENTIA
VERSATISSIMI
RELIGIONE PRUDENTIA CÆTERISQUE
VIRTUTIBUS PRÆCLARI
MEMORIA PERIRET
FF. HUJUS CONVENTUS S. DOMINICI
MAJORICEN. S. MARTINI ARBOREN. PP.

Plura de eo Catalanius *de Secretario sacræ Congregationis Indicis*, & Guarnaccius l. c.

LIV.

LIV. PETRUS SECUNDUS RADICATUS e nobilissima Casalensis in Montisferrato Mantuano urbis familia, quum patriæ ecclesiæ septem & viginti annos præclaris vigilantiæ constantiæque editis exemplis præfuisset, ad Auximatem ecclesiam, quam post PIPIÆ abdicationem Illustrissimus *Accorambonius* tunc *Pontificis*, ut vocant, *Auditor*, deinde Cardinalis administraverat, pridie Idus Apriles a. MDCCXXVIII. avocatus est. Septemdecim tantum mensibus alteram hanc ecclesiam gubernavit, & doloribus podagræ cruciatus maximis; nec tamen aut diœcesim lustrare, ut licuit, omisit, aut quam Auximates præconceperant, tanti Præsulis expectationem imminuit. Nam & Episcopales ædes amplificavit, & sodalitium quod *bonæ mortis* vulgo dicitur, ad id P. Caimo Societatis nostræ e Mediolanensi provincia adcersito, instituit. Pauperes præsertim, quorum levandis egestatibus amantissimus pater magnam argenti vim erogabat, ejus Kal. Decembris a. MDCCXXIX. demortui funus cum lacrymis prosequuti sunt. Hæc autem ejus tumulo inscripta epigraphe legitur.

PETRUS SECUNDUS RADICATI
EX COMITIBUS COCCONATI ET CELLARUM
URBIS CASALENSIS PATRICIUS
EJUSQUE ECCLESIÆ PER ANNOS XXVII.
EPISCOPUS OLIM VIGILANTISSIMUS
A BENEDICTO XIII. P. M. DEINDE TRANSLATUS
AD CATHEDRALEM URBIS HUJUS AUXIMANÆ
QUÆ TRADITUM SIBI PASTOREM
SUOS INTER PATRICIOS
ADSCRIBERE QUOQUE GAVISA EST
IN PASTORALI REGIMINE MENSES XVII.
PRÆCLARE VIXIT
ET DIE PRIMA DECEMBRIS
ANNO SALUTIS MDCCXXIX.
PIISSIME OBIIT ÆT. SUÆ LIX.

LV. FR. FERDINANDUS AUGUSTINUS BERNABEI, Anconitanus, ex sacro Dominicanorum Ordine, post RADICATI obitum Aquipendensem ecclesiam, cujus gubernacula multa

cum

cum laude tenuerat, cum Auximate IV. nonas Decembris MDCCXXIX. jussus est commutare. Adflicta admodum valetudine fuit; optimi tamen vigilisque Pastoris partibus impletis V. Idus Martii a. MDCCXXXIV. e vivis excessit.

LVI. JACOBUS LANFREDINIUS, de quo ex copiosiore vita a Salvino Salvinio Florentino Canonico diligenter perscripta hæc Johannes Lamius *in Memorabilibus Italorum eruditione præstantium, quibus vertens sæculum gloriatur*, *Tom. II. p. I. pag.* 288. " JACOBUS LANFREDINIUS, Laurent. Mar. Lan-
" fredinio, & Constantia Zatia, Jacobi Senatoris filia, nobili-
" bus parentibus ortus est Florentiæ A. D. VII. Kl. Novem-
" brias, anno a Christi Servatoris ortu MDCLXXX. Duodevigin-
" ti annos natus Latina, & Tuscanica eloquentia præcelluit;
" & sub *Carolo Bindio*, viro Theologi insignibus decorato,
" Philosophiæ operam navavit; *Andreas* autem a *S. Sebastiano*,
" ex Clericis Regularibus Scholarum Piarum, quem Ordinem
" & supremus Præses moderatus est, publicus in Florentino
" Atheneo Professor illum Theologiam, quam Scholasticam vo-
" cant, & dogmaticam docuit. Græcanicæ litteraturæ præcep-
" torem *Ant. Mar. Salvinium*, virum celebratissimum, habuit,
" qui mihi (*Lamio*) narrare solitus est aliquales progressus
" in Græca eruditione *Lanfredinium* facturum fuisse, nisi ut
" laborem, & animi contentionem effugeret, in investigan-
" dis Græcæ scriptionis sensibus, interpretum magis, quam
" Lexicorum, ope abusus fuisset. Heinc merito *Angel. Mar.*
" *Riccius* Græcarum Litterarum in patria Academia Professor,
" primo *Homericarum dissertationum* volumine, inter *Salvinii*
" auditores eum hisce verbis recenset: *JACOBUS CARDINA-*
" *LIS LANFREDINIUS*, *Auximanus Episcopus*, *morum san-*
" *ctitate*, *&* *legum scientia spectatissimus* ..... Annus jam MDCIC.
" vertebat, quum a *Cosma III.* Magno Etruriæ Duce, Sacer-
" dotio, quod Canonicatum adpellant, in principe Florentina
" Ecclesia, auctus est. Heinc anno MDCC. Pisas contendit,
" ut in illustri Atheneo in Jurisprudentiam, & Sacrorum Ca-
" nonum scientiam incumberet, in quibus quidem doctrinis,
" *Joseph. Averanii* Juris interpretis celeberrimi auditorium
" in primis frequentans, multum profecit. Anno MDCCI. lo-
" cum in Collegio Romano a Capitulo Ecclesiæ Florentinæ
" conferendum obtinuit; & in eruditum Cœtum, qui a furfure
" no-

„ nomen habet Florentiæ cooptatus, de laudibus *D. Zenobii*
„ Episcopi Florentini, & illius Cœtus Patroni, anno MDCCII.
„ luculentam habuit orationem. Romam denique profectus est,
„ & post justam in Collegio Romano moram caussarum pa-
„ trocinium agere cœpit sub Vecchio patrono caussarum præ-
„ stantissimo; in quo munere obeundo tantam omnium opi-
„ nionem collegit, ut patronorum facile princeps in Romana
„ curia deinde haberetur, quum anno jam MDCCVIII. Ca-
„ nonicatu Florentino se abdicasset. Heinc non mirum, si tam-
„ quam patronus admirandus a *Sigismundo Coccapanio* e Cle-
„ ricis Regularibus scholarum Piarum in suis epistolis, anno
„ MDCCX. Romæ editis, celebratus est: & si *Cosmus III.*
„ Magnus Dux suum primarium auditorem, seu judicem adses-
„ sorem, eum, si Florentiam redire voluisset, se renunciatu-
„ rum recepit. Quamobrem ejus doctrina & peritia in diffici-
„ lioribus negotiis, & in caussis gravissimis, certatim omnes
„ usi sunt, heincque ei aditus ad magnas divitias comparan-
„ das facile patuit; domusque suæ angusta re jam laborantis
„ casus aliquatenus reparare primo ætatis flore sic valuit. Et-
„ enim Cardinalis *Annibal Albanius* S. R. E. Quæstor eum
„ auditorem, ut vocant, suum elegit; elegit pariter Cardina-
„ lis *Nicolaus Acciajolus* sacri Purpuratorum Collegii Decanus,
„ ampla insuper in suo Episcopatu Ostiensi jurisdictione con-
„ cessa; elegit & Cardinalis de *Judice* ejusdem Collegii pariter
„ Decanus, & tamquam Ostiensis Episcopus Procuratorem suum
„ Concilio Romano interesse jussit. Plures etiam Pontifices
„ Maximi magni eum penderunt. *Clemens XI.* Præsulis digni-
„ tatem, quam ab Institutore *Amadoriam* vocant, cum fa-
„ cultate patronum caussarum agendi, ei confirmavit. *Inno-
„ centius XIII.* sui fratris filio, Ecclesiasticis dignitatibus de-
„ stinato, magistrum & moderatorem præposuit; Auditorem
„ Quæstoris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ renuntiavit; in Dome-
„ sticorum Præsulum album retulit; & inter Antistites Con-
„ gregationis Consistorialis cooptavit. Quanti vero eum *Bene-
„ dictus XIII.* fecerit, ex duobus exemplis elucescet. Gravissi-
„ ma sedis Apostolicæ caussa de cujusdam in Batavia Episcopi
„ auctoritate agitabatur; diversæque in ea regione disputatio-
„ nes hac de re habebantur, non sine quadam Pontificiæ Ca-
„ thedræ contumelia. Tandem a sacra *propagandæ Fidei* Con-

„ gre-

„ gregatione ſtatutum eſt, ut cauſſæ hujus patrocinium Romanorum Antiſtitum doctiſſimo a Pontifice Maximo deferretur; „ Pontifex autem Maximus audito *Lanfredinii* nomine, ſtatim ei negotium graviſſimum, implicatiſſimamque cauſſam commiſit. Is autem, quum negotium ſedulo conſideraſſet, „ examinateque ac mature perpendiſſet, tanta rationum vi; „ tanta doctrinæ copia, tanto eruditionis adparatu adverſarios obpugnavit, retudit, vicit, ut, vix *Lanfredinii* reſponſum Sacræ Congregationi, & Pontifici Maximo exhibitum „ eſt, magna quoque cauſſa, & lis difficillima deciſa fuerit. „ Heinc, quum & alia magni momenti controverſia circa Concilium Romanum exorta eſſet, & vehementi partium ſtudio agitaretur, Pontifex Maximus clam ad ſe *Lanfredinium* arceſſivit, eique tantæ rei examen, ac judicium delegavit. Tunc doctam ac exactam diſſertationem ille lucubravit, juxta quam Pontifex cauſſam finivit; ſententiæque „ lubenter utraque pars adquievit. *Clementis* autem XII. familiariſſimus fuit, qui eum anno MDCCXXXI. ſacræ Congregationis Concilii Secretarium juſſit, ac mox tituli Sanctæ „ Mariæ in Porticu Presbyterum Cardinalem VIIII. Kl. Februarias anno MDCCXXXIV. creavit, eligens eum Auximi, & Cinguli ſimul Epiſcopum. Alia Romæ munia jam „ obiverat, ſemperque laudabiliter in iis ſe geſſerat: fuit enim „ *utriuſque Signaturæ Referendarius*; anno MDCCXXI. *Ponens*, „ ut vocant, *Congregationis boni gubernii*: anno MDCCXXVIII. „ *Canoniſta* electus eſt: fuit *Sigillator*, & *Datarius ſacræ* „ *Pœnitentiariæ; Votans Signaturæ gratiæ;* & anno MDCCXXX. „ creatus eſt Canonicus S. Petri in Vaticano, quum *Bartholomæus Maſſejus* Politianus ad Cardinalatus gradum adſcendiſſet. „ Quin & Cœnobii *D. Lanfranci* Ticinenſis Abbas *Commendatarius* fuit. Quinquies Synodum diœceſanam coegit, & formis deſcriptam publici juris fecit. Homilias & epiſtolas „ Paſtorales elegantiſſimas variis temporibus ſcripſit, quæ uno „ volumine comprehenſæ Æſii formis excuſæ ſunt. *Benedictus XIV.* eum Romam evocavit, & Immunitatis Eccleſiaſticæ Præfectum, Viſitatoremque Apoſtolicum Romani Noſocomii Sancti Spiritus renunciavit. Duas Romæ habuit orationes, quæ typis vulgatæ fuerunt, atque ita inſcriptæ ſunt. „ Una: *Oratio in funere Innocentii XIII. Pontif. Max. habita*

„ *in Vaticano Templo ad Sac. Eminentiss. Cardinalium Colle-*
„ *gium a Jacobo Amadorio, olim de Lanfredinis. Romæ ex*
„ *Typographia Vaticana MDCCXXIV. in fol.* Altera: *Oratio*
„ *ad Sacrum Eminentissimorum Cardinalium Collegium Pontificis*
„ *deligendi causa Conclave ingressurum die V. Martii MDCCXXX.*
„ *habita in Templo Vaticano a Jacobo Amadorio, olim de Lan-*
„ *fredinis. Romæ MDCCXXX. ex Typographia Rev. C. A.*
„ *in fol.*. Synodi autem una cum orationibus ab eo in illis ha-
„ bitis Anconæ publicatæ fuerunt. Quocumque gradu ac con-
„ ditione *Lanfredinius* existeret, pietati adversus Deum, &
„ morum sanctitudini operam dedit. Quotidie ad Presbyteros
„ Oratorii Romæ accedebat. Monachis & Sacerdotibus virtute
„ ac pietate conspicuis familiarissime utebatur. Cognatos dile-
„ xit, quatenus virtus sanctitasque permisit; hominibus displi-
„ cere quicquam pensi non habuit, ut Deo placeret. Auste-
„ ram vitam transigebat; crebras conciones habebat. Quum
„ ab iis, qui Missionarii audiunt, sacræ orationes in plateis
„ & compitis quondam haberentur, in suggestum ille conscen-
„ dit, & coram universa concione peccata sua confessus est, &
„ ut sibi ignosceret, enixe populum efflagitavit; tanta in eo
„ animi demissio fuit. Gregi sibi commisso perpetuum invigi-
„ lans quotannis suam diœcesim lustrabat, & Synodum cele-
„ brabat. Numquam in vita caste pudiceque exigenda varius
„ & inconstans fuit, licet frequentibus tentationibus, & ad
„ malum illecebris obpugnaretur. Nimis cautus, & peccandi
„ timidus, omnifariis scrupulis ejus mens adflictabatur; ita au-
„ tem virtus, Deo adnuente, perficiebatur. Religionem, pieta-
„ tem, sanctimoniam in sua diœcesi, qua verbis, qua exem-
„ plis, mirifice promovit. Divinam Eucharistiam, tædam ma-
„ nu ferens, capite aperto, cunctis tempestatibus, diu noctu-
„ que, ad infirmorum domos deducebat. Pauperibus certis lar-
„ gam stipem quotidie profundebat; integris familiis men-
„ struum victum adsignaverat; nupturis, sacroque velo induen-
„ dis puellis innumeris dotes copiosas clandestine largiebatur.
„ Primis sui Episcopatus mensibus ecclesiam, & domum, in
„ qua Parochus habitaret, extruxit. Denique sibi avarus, aliis
„ prodigus fuit. Post brevem decem dierum morbum naturæ
„ concessit A. D. XVIII. Kl. Junias an. MDCCXLI., & cum eo
„ *Lanfredinia gens* mascula extincta est. Testamento jussit, ut
„ in

„ in ecclesia Presbyterorum Missionis in Monte Citorio sepe-
„ liretur. Id quidem factum est, postquam in ecclesia San-
„ ctorum *Joannis* & *Paulli* justa ei, cadavere exposito, rite &
„ more majorum soluta fuerunt. Hæc nova Sacerdotum a
„ Missionibus ecclesia ab ipso Cardinali *Lanfredinio* a funda-
„ mentis excitata fuerat, duodecim millibus aureorum impen-
„ sis, quam & hæredem suam instituit. Supra hujus ecclesiæ
„ portam intrinsecus insignia gentilitia *Lanfrediniorum* extant,
„ atque infra illa epigramma insequens legitur.

JACOBO S. MARIÆ IN PORTICU
DIACONO CARD. LANFREDINO
QUOD
ÆDIBUS JAM PRIDEM AMPLIFICATIS
TEMPLUM A FUNDAMENTIS EXTRUXERIT
POSTREMO HANC MISSIONIS DOMUM
HÆREDEM SCRIPSERIT
CONGREGATIO TOT BENEFICIIS CUMULATA
P. C. A. S. MDCCXXXXI.

„ Congregationi Propagandæ Fidei vasa argentea domestica
„ reliquit; sacras ac pretiosas vestes aliis ecclesiis. Substantiæ,
„ quam Florentiæ possidebat, usumfructum *Mariæ Octaviæ* so-
„ rori, *Philippi Corbolii* Equitis matri, legavit; eaque ut
„ Presbyteris Missionariis Florentiæ post ejus obitum restitue-
„ retur, jussit. *Pompejus Compagnonius* Maceratensis, qui Car-
„ dinali *Lanfredinio* in Auximano & Cingulensi Episcopatu
„ successit, in primario Auximi templo justa pariter ejus
„ manibus persolvit: in quibus exequiis *Jac. Mar. Judicius*
„ Canonicus & Theologus ejusdem ecclesiæ, & Cardinalis de-
„ functi amicissimus, orationem funebrem habuit. Commenda-
„ tus merito est Cardinalis *Lanfredinius* in Ephemeridibus lit-
„ terariis Venetis, & Florentinis; & ab *Jo: Maria Brocchio*
„ V. Cl. inter Florentinos sanctitate conspicuos recensetur in
„ volumine I. *Vitarum Sanctorum diœceseos Florentinæ*. Tanti
„ autem factæ fuerunt ejus epistolæ Pastorales, ut Cardinalis
„ *Massejus* Anconæ Episcopus suæ Synodo duas inseruerit;
„ quædam autem iterum in vulgus Florentiæ proditæ fuerint
„ a *Franc. Cajetano Incontrio* Reverendissimo Archiepiscopo Flo-

„ rentino „. Hactenus Lamius. Confer etiam Guarnaccium *To. II. hist. Roman. Pontif. & S. R. E. Cardinal.*

LVII. POMPEJUS COMPAGNONIUS Maceratæ in Picentibus quincto idus Martias a. MDCXCIII. a Petro Paullo Compagnonio viro nobilissimo ex Maria Hieronyma Francisci Marchionis Riccii filia susceptus est. Romæ autem quum pluribus annis magna & doctrinæ & pietatis suæ commendatione versatus esset, XVI. Kal. Sept. A. MDCCXL. Auximas & Cingulanus Episcopus, Lanfredinio ab utraque cathedra se abdicante, primum renunciatus est, sexto deinde nonas Octobris consecratus; nec tamen ante septimum idus Novembris, qui dies S. Leopardi memoriæ sacer est, ecclesiam suam Auximatem solemni pompa adire voluit, ut cui in Episcopali cathedra successorem se noverat, eum in illa administranda & patronum veneraretur, & exemplar sibi proponeret. Veterum certe morum, & ad sancti illius Præsulis normam exactorum est incredibilis COMPAGNONII in ecclesiæ, ac dignitatis suæ juribus adserendis firmitas atque constantia, & ad sacrorum Canonum, in iis præsertim, quæ ad religiosos ritus ac ministrorum consecrationes spectant, conservationem attenta sollicitudo. Eodem spectat, quod præter homilias, quas solemnioribus quibusque diebus habet, singulis Dominicis festisque diebus ab Epiphania ad Dominicam Quinquagesimæ unam aut alteram Paulli epistolam familiari sermone explanare populo consueverit. Græcæ linguæ, juris utriusque Civilis atque Canonici, philosophicarum secundum recentiorum Scriptorum placita disciplinarum studia in Seminarium suum introduxit, quod & selectissima bibliotheca locupletavit. Litteratis viris auctor fuit, ut semel in singulas hebdomadas in Episcopale palatium convenirent de præcipuis Ecclesiasticæ historiæ quæstionibus disputaturi; hinc florentissimæ Ecclesiasticæ Societatis, cui adscriptum me esse glorior, apud Auximates origo. Nunc de alio ejusmodi cœtu, qui patrias antiquitates illustrare adgrediatur, instituendo cogitat. Quod Dominicus Pannellius, & Marcus Antonius Talleonius editis eruditissimis libris magnam sibi patriæque gloriam comparaverint, ejus potissimum suasu & impulsu factum est. Denique ut eorum, quæ ad bonarum disciplinarum amorem augendum conferunt maxime, nihil suis deesset, typographicam artem a multis retro annis veluti extorrem Auximum revocavit.

vit. Quamquam de his, licet præclara ſint, nihil adtineret dicere, ſi virum tantummodo præſeferrent, quem, cum litteratiſſimus ipſe per ſe ſit, ſtudiis, doctrinisque alios quoque imbui delectet. Sed Epiſcopum maxime decent, qui nonniſi per rectam juventutis inſtitutionem, & ocii fugam, ſtare pietatem, morumque integritatem poſſe intelligat. Itaque non adoleſcentulorum tantummodo, sed etiam puellarum educationem, & diſciplinam ſibi curandam propoſuit, additis quidem in plura diœceſeos ſuæ loca induſtribus fœminis, quibus ex [illegible] rum *Magiſtrarum* nomen eſt; Auximi vero reſtituta, quæ jamdiu jacebat, ejuſmodi ſchola, atque annuo cenſu, qui Magiſtrarum ſtipendium ſit, liberaliter adſignato. Neque hoc ſolum ad confovendam muliebris ſexus pietatem a vigilantiſſimo Antiſtite excogitatum; domum præterea ab illo ædificatam reperio, quo cum nobiliores tum etiam omnium ordinum fœminæ ſtatis annis temporibus conveniant, ſaluberrimis ad S. Ignatii mentem exercitationibus excolendæ. Quid? quod pium quoddam Orphanotrophium ære ſuo conſtituit, ut quæ vel parentibus orbatæ penitus, vel eorum cura deſtitutæ quum eſſent, domi ſuæ apta inſtitutione formari ſatis nequirent, virgines puellæ in Chriſtianis officiis æque atque in artibus ipſarum ſtatui maxime conſentaneis diligenter erudirentur. Eximia hæc COMPAGNONII de ſalute animarum ſtudia præmium merebantur, quod maximum Epiſcopo tribui in terris poſſit a Deo; conſequuta ſunt autem, dum ei datum vidimus, ut (quod felix fauſtum fortunatumque erit ſemper Auximati eccleſiæ) anno 1751. Sanctorum Florentii ſociorumque; anno 1754. S. Leopardi; ac tandem a. 1755. Ss. Vitaliani & Benvenuti corpora inveniret. Quod quidem cujus quantique beneficii loco habuerit ipſe, pompa oſtendit, apparatuſque ſolemnis, quo illa primum per urbem deferri, marmoreis deinde tumulis condi curavit. Sperandum autem (quod etiam atque etiam petimus), *fore ut* Sancti hi, qui ſub ejus Pontificatu rurſus apparere quodammodo voluerunt, illum magno Auximatium ſuorum bono incolumen quam diutiſſime ſervent.

AUXI-

AUXIMATIUM EPISCOPORUM

CHRONOLOGICA TABULA.

	Electus anno	Floruit anno	Abdicavit Episcopatum anno	alio translatus anno	Obiit anno
S. LEOPARDUS		[illegible]			
FORTUNATUS		649.			
[illegible] I.		680.			
S. VITALIANUS		743.			
GERMANUS		826.			
LEO		834. circ.			
ANDREAS		853.			
PETRUS I.		887.			
ATTINGUS		967.			
CLOROALDUS		996.			
GISLERIUS		1022.			
LOTHARIUS		1066.			
GUARNERIUS		1100. circ.			
GRIMOALDUS		1151.			
GENTILIS		1177.			
*LOTHARIUS anti-episcopus *Gentili* superstite.		1194.			
Sinibaldus de SINIBALDIS		1218.			1240.
RAYNALDUS		1240.		1241.	
S. BENVENUTUS de SCOTIVOLIS	1264.				1283.
BERARDUS	1283.			1289.	1291.
MONALDUS	1289.				1292.
B. JOHANNES	1295.				1319.
BERNARDUS	1320.				
Fr. SINIBALDUS	1326.				1342.
Fr. Albertus BOSON	1342.				1345.
Fr. LUCAS MANNELLIUS	1345.			1357.	1364.
Fr. Petrus de MASSÆIS	1357.		1380.		1381.
PETRUS de Monte Filiorum Optrani	1380.				1400.
Johannes GRIMALDESCUS	1400.				1412.
BARTHOLOMÆUS	1412.		1419.		
Fr. Petrus HERCULANUS	1419.				1422.
Fr. Nicolaus BIANCHI	1422.				1434.
ANDREAS	1434.				1454.
Johannes PRÆFETTUS	1454.				1460.

Caf-

	Electus anno	Floruit anno	Abdicavit Episcopatum anno	alio translatus anno	Obiit anno
Caspar ZACCHIUS	1460.				1474.
Lucas CARDUCCIUS	1474.				1480.
LUCAS	1480.				1484.
Paris MONTEMANNUS	1484.				1498.
Antonius Ugolinus de SINIBALDIS	1498.		1515.		1515.
Joh. Bapt. de SINIBALDIS	1515.				1547.
Cyprianus SENILIS	1547.		1551.		1559.
Bernardinus Risius de CUPPIS	1551.		1574.		
Cornelius FIRMANUS	1574.				1588.
Theodosius FLORENTIUS	1588.				1591.
Antonius Maria Card. GALLUS	1591.				1620.
Augustinus Card. GALAMINUS	1620.				1639.
Hieronymus Card. VEROSPIUS	1642.				1652.
Ludovicus BETTUS	1652.				1655.
Antonius Card. BICHIUS	1656.				1691.
Opitius Card. PALLAVICINIUS	1691.				1700.
Michael Angelus Card. de COMITIBUS	1708.			1712.	
Horatius Philippus Card. SPADA	1714.				1724.
